DIALOGVS de fundamentis Legum Angliæ et de conſcientia.

Per CHRISTOPHERVM de Sancto Germano communiter Seyngerman confectus, cuius mentio eſt in principio ſecundi libri Dialogorum inter ſacræ Theologiæ Doctorem et Studentem Legum Angliæ.

In ædibus Thomæ Wight.
1604.
Cum priuilegio Regiæ Maieſtatis.

Camb Univ Lib 2401

XUM

In libro Iohannis Balei Scriptorum illustrium Britaniæ Centuria octaua 75. pag. 600.

CHristopherus Seyniarmayne alijo de Sancto Germano illustri ꝓsapia oriundus, socius olim Interioris Templi in suburbijs Londinensibus, eo eruditionis illic peruenit, vt ab eius vrbis ciuibus, Immortalem sit assecutus famam. Homo erat omnium consensu in patrijs legibus & in Iure tam Canonico quam Ciuili exelenter instructus, in omnique Philosophia atque scientijs alijs liberalibus doctissimus euasit. Quam fœcundum amplum ac magnificum habuerit Ingenium, et quam grauem in rebus agendis prudentiam, tota nimirum Anglia nouit. Celebs per omnem vitam cum omni honestate vixit, cunctis se beneficum valde præbuit, in foro consilia, & auxilia petentibus exhibuit gratis, singulis fere noctibus, cum nihil esset agendum foras, vnum ex sacris Bibliorum libris Caput legit & expostuit, totaque eius substantia cum moreretur in libris fuit: Tam electum dei Organum,

ac tam ſanctum pietatis ante Iuriſperitorum oculos in omni ſeculo ponendum exemplar, non licet multorum certe opinione, ſine quadã reuerentia nominare. Scripſit hic Germanus Chriſtigerulus inter cetera, partim Latinæ, partim Anglicæ.

Dialogum de legibus Anglicanis.	*lib.1*
Dialogum de fundatione earundem.	*lib.1*
Apologiam ad Epiſtolam quandam.	*lib.1*
De ſtatutis prouincialibus.	*lib.1*
De cleri poteſtate ex iure qui ſic incipit. Quamuis huius libri propoſitum.	*lib.1*
Liber eſt quem nuper edidit qui ſic incipit. Salem & Biẽantium.	*lib.1*
Doctrinam Bernardi & Brigidæ.	*lib.1*
Conſilia Romanorum pontificum.	*lib.1*
In Mahumetem & eius ſectam.	*lib.1*
Diſcrimen vulgi et Cleri.	*lib.1*
Additionem Salu & Biẽantij.	*lib.1*
Quod Clerus non conderet leges.	*lib.1*
Quid Eccleſia ſit.	*lib.1*
De Sacramentis eiuſdem.	*lib.1*
Apologiam aduerſus Morum.	*lib.1*
De utraque poteſtate dialogum.	*lib.1*

Atque alia nonnulla Octoginta annos ſuperabat, cum Londini mortem obiret. Anno a diuino verbo Incarnatione 1539. die 28. Septembris: Et in D. Elphegi templo ad Crepulgate dicto, eſt non procul a Lupſeto ſepultus, ſub H. 8.

Teſta-

Teſtamentum Authoris ex officio Regeſtri curiæ Prerogatiuæ.

IN Officio Regeſtriæ Curiæ prerogatiuæ in libro vocat̃ Alniger fol. 19. ſcribitur teſtamentũ Chriſtopheri ſancti German authoris huius libri dat̃ 10. Iulij 32. H. 8. et probat̃ 30. Maij 1541. in quo patet quod pater & mater eius fuerunt ſepulti apud Shilton iuxta Ciuitatem Couentriæ vbi voluit elemozinas diſtribui annuatim vſq; ad annum 1550. vna cum concione de reſurrectione et dedit legata Eccleſijs de Church-Lawford et Builton in com̃ Warwicke de Catthorpe in comitatu Leceiſtriæ, et de Mary Borne in comitatu Midd. et Margaretę Riding ſorori eius, et Franciſco Moos & Aliciæ Moos filio & filiæ Gopſillæ alteræ ſororis eius, et Elizabeth Holdenby tertiæ ſororis eius, & Iohanni Holdenby filio eiuſd̃ Elizabeth et Annæ vxori Iohánis Hill filiæ p̃fat̃ Elizabethæ et Thomę Treue tenenti & ballito et Iohanni Bleuerhaſſet conſanguinio

suo, et Christophero Brytten quem fecit executorem eiusdem testamenti pro performatione cuius voluit quod venderet libros suos & Albacos, ac Cistas repositoria, et alia sua vtensilia domus, præter fenestras & ostia per eum posit in domo vbi habitabat in parochia sancti Elphegi ad Crepulgate. Nam hæc dedit dominis domus eius fratribus Gilde beatæ Mariæ Magdalenæ in vico vocat Fishstreete, et constituit Dawson de Fletestreet superuisorem prædict' Testamenti.

Prolo-

Prologus.

PRæsens dialogus ostendit quæ sunt principia siue fundamenta legum Angliæ, et qualiter conscientia in pluribus casibus, secundum eadem principia & fundamenta formari debet. Tractat etiã breuiter qualiter hæc quæstio intelligenda est: scilicet vbi lex Angliæ declinanda est propter conscientiã, & vbi non. Et sciendum est quod non ostenduntur dicta principia, siue maxima solum vt noscantur sed maxime et ad dandũ alijs occasionem ad colligendũ, et in scriptis redigendũ alios casus eiusdẽ legis ex quibus conscientia formare debet. Vnde ni fallor plurima inuenirj possunt, quorum noticia non solum necessaria erit in curijs regis ad reddendũ vnicuique quod suum est, sed etiam in foro animæ ad inducendũ omnes eos obseruantes ad bonã et saluberimã conscientiam. Et qui bonam habet conscientiam semper habebit leticiam, nec pena grauior est quã interius vulnus conscientiæ. Ponuntur etiam eadẽ fundamenta in lingua latina quæ prius, quantum ad maiorem partem inde conscripta fuerunt in lingua Gallica, vt omnes experti in lingua Latina faciliorem recursum habere poterint ad eadem: Et notandum est quod noticia Legis An-

glie & fundamentorum eius est valde necessaria in hoc regno pro bona directione conscientie. Nam cū dicitur Exod.xx.ver.17. *non cōcupisces domum proximi tui, nonhouem non Asinum &c. non declarans que sit domus vel res proximi, & que non dicit igitur lex Angliæ hec est domus tua et hæc est res tua, et hec est res proximi tui: Nam ex lege humana rite ordinata patet in quo est iusticia in terrarum possessione & dominorum rerum. Et quicquid per precepta huiusmodi legum possidetur iuste possidetur qđ vero contra eas tenetur iniuste tenetur Ideo cū dicit beatus Augustinus quod nō dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum dicit lex Angliæ hæc est ablatio iusta, et hæc iniusta vnde lex est optima interpres vbi restitutio fienda vel non fienda est.*

℣ *Intro-*

QVidam Doctor Theologię multe familiaritatis & amicitię cum quodam Studenti in Legibus Angliç sic ei allocutus est. Ex causis multis magnum desiderium habui per annos plurimos scire vnde Lex Angliæ cepit fundamenta. Sed quia maxima pars Legis Angliæ scribitur in lingua Gallica, ideo non possum a meipso nec ex studio meo proprio ad cognitionem inde attingere. Nam in lingua illa fateor me omnino fore inexpertum. Ideo (amice dilecte) quia te mihi fidelem & in omnibus negotijs meis specialem conciliatorem semper inueni: tibi ad presens preceteris occurri: supplicans vt mihi edicere digneris vnde Lex Angliç fundamenta ceperit. STVDENS. Hoc opus grande est & vltra vires meas, attamen ne tibi videatur quod nec voluntatem habeam desiderio tuo acquiescere libenti animo faciam quod in me est voto tuo satisfacere. Sed prius queso de fundamentis aliarum Legum quæ ad hoc negotium maxime spectare videntur, mihi aliquid

aliquid vel breuiter ostendere cures, Et tunc de fundamentis Legis Angliæ quid sencerim dicere libenter aggrediar.

Doctor. Gaudenti animo faciam vt hortares vnde scias quod de quatuor Legibus quę ad hoc negotium maxime spectant Doctores tractant. Primo *de Lege æterna*. Secundo *de Lege naturæ*, quam vt audiui vocatur inter peritos Legis Angliç Lex rationis: Et ideo sub illo vocabulo, s. Legis rationis ad presens inde tractabo. Tertio *de Lege diuina*. Et quarto *de Lege humana*. Ideo primo de Lege æterna tractandum est.

¶ *De Lege æterna.*
Cap. 1.

Doctor.

Sicut in quolibet artifice pręexistit ratio eorũ que constituuntur per artem, ita etiam in qualibet gubernatione oportet quod pręexistat ratio ordinis eorum quę agenda sunt in eo qui gubernationem pręsidet. Et sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars, vel exemplar rerum artificatarum, ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem Legis

Legis optinet obſeruatus alijs quę ſunt de legis ratione. Deus enim per ſuam ſapientiam creator eſt vniuerſarum creaturarũ, ad quas comparatur ſicut artifex ad artificiatum, & etiam gubernator omnium actuum & motionum quę inueniuntur in omnibus creaturis. Vnde ſicut ratio diuinę ſapientiæ in quantum creaturę ſunt per eum creatę, habet rationem artis, vel exemplaris, vel ideę: ita ratio diuinę ſapientiæ mouens omnia a ſe condita ad debitum finem optinet rationem Legis. Et ſecundum hoc Lex ęterna nihil aliud eſt, quam ipſa ſumma ratio gubernationis rerum in Deo ſiue illa ſumma ratio diuinę ſapientię, qua vult Deus omnia a ſe condita moueri & dirigi ad bonum & debitum finem vnde Lex ęterna a *Iohanne Gerſone* in deſcriptionibus terminorũ ad Theologiam vtilium deſcribitur ſic. Lex ęterna eſt diuina voluntas ordinatiua rerũ a ſua arte producibilium ſiue productarum quo ad operationes & motus & fines ſingularum. Item Lex ęterna ſub alia deſcriptione dicitur perpetua & conſtans voluntas ius ſuum vnicuiq; tribuens: et licet hęc deſcriptio etiam alijs legibus

legibus appropriatur, tamen competit principaliter iustitię diuinę in ordine ad suas creaturas, Deus nempè solus est qui voluntate perpetua & constanti dat vnicuiq; rei quod suum est, suum inquam non ex debitorigoris, sed ex liberalissima & dignissima donatione creatoris. Habet enim res quelibet ius seu titulum id habendi quod iustè possidet ex dictamine rectissimo primę iustitię, quę est dictamen rectę rationis primę. Dictamen vero rectę rationis primę & iustitia conueniunt in Deo synonomę. Lex etiam æterna dicitur Lex prima, et bene dicitur prima, nam fuit ante omnes alias Leges: Et omnes alię leges diriuantur ab ea: Vnde dicit beatus *Augustinus* contra *Faustum*, sicut voluntas diuina est simplex prima in genere causę efficientis: sic Lex æterna simplex est prima in genere legis obligantis. Quare sicut nulla causa potest agere ipsa non agente: sic nulla Lex potest obligare ipsa non obligante; Et ideo bene dicit idē *Augustinus* in primo libro de Libero arbitrio, quod in Temporali Lege nihil est iustum ac legitimum quod non ex æterna homines sub deriuauerunt. Et hoc verum

esse ne-

esse necesse est, quod cum Lex æterna gubernationis in supremo gubernante necesse est quod omnes rationes gubernationis in inferioribus gubernationibus a dicta ratione in supremo gubernante diriuentur. Nam sicut necesse est quod virtus secundi mouentis, & quod mouens diriuetur ex virtute primi mouentis, & quod mouens secundum non mouetur nisi in quantum mouetur a primo: sic necesse est quod ratio in secundo gubernante nihil operatur nisi in quantum mouetur ex ratione in primo gubernante. STVDENTS. Sed quomodo potest hęc ratio in primo gubernante cognosci quis ve potest ad illam summam rationẽ ęternam attingere? Nam vt dicit Apostolus prima ad Corinthios cap. 2. vers. 11. *Quæ sunt Dei nemo scit nisi spiritus Dei*, videtur igitur os suum in cœlum ponere qui eam nititur apprehendere. DOCTOR. Hanc Legem ęternam nullus cognoscere potest sicut in se est, nisi solum beati qui vident Deum per essentiam. Sed Deus ex sua bonitate reuelat eam & notam facit eam omnibus creaturis suis in quantum eis est necessaria, alias enim

ligaret

ligaret Deus creaturas suas ad impossibile, quod in Deo censendum iniquum est. Tribus igitur modis reuelat Deus hanc Legem æternam & notam facit eam creature rationali: Primo modo per luminen naturalis intellectus: Secundo per reuelationem diuinam: Tertio per rationem in principe siue in alio quocunq; secundario gubernante qui habet potestatem legem imponere subditis suis. Et cum Lex æterna siue voluntas diuina erga creaturam rationalem notificata ei fuerit per lumen naturalis intellectus siue per lumen rationis naturalis tunc vocatur Lex rationis vt prędicitur. Et cum notificata ei fuerit per reuelationem diuinam seruatis alijs quę sunt de necessitate legis diuinę, de quibus inferius dicetur, tum vocatur Lex diuina. Et cum notificata ei fuerit per rationem in principe siue in alio secundario gubernante, qui potestatem habent legem imponere subditis suis, tunc vocatur Lex humana, licet originaliter a deo instituta sit. Nam Leges ab homine conditę qui ad hoc a domino recepit potestatem, a Deo constituuntur: Quia quicquid facit causa secunda facit

& prima

& prima nobiliori modo. Igitur prędictę tres Leges, ſcilicet: Lex rationis, Lex diuina, & Lex humana, quę ſorciuntur diuerſis nominibus ſecundum modum ſuę oſtentionis vt prędictum eſt, vocantur in Deo vna Lex ęterna. Nam ſemper & eternaliter fuit in Deo de tali lege notitia antequam creaturę factę ſiue creatę fuerunt. Et hæc notitia ęterna ſiue voluntas ęterna in Deo, Lex ęterna dicitur. Et hęc eſt Lex illa de qua ſcribitur Prouerbiorum 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta diſcernunt*. Et quia me breuiter ſcribere petis: ideo de Lege ęterna hęc ad preſens ſufficere videntur.

¶*De Lege Rationis, quam inter Doctores vocatur Lex naturæ rationalis creaturæ, ſiue Ius gentium. Cap. 2.*

DOCTOR. Primo notandum eſt quod ſecundum doctores Lex naturę poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet, generaliter & ſpecialiter: Generaliter vero conſiderata reſpicit ad omnes creaturas etiam irrationales; Nam omnes creaturę irrationales non impeditę nec indiſpoſitę viuunt

viuunt & subsistunt sub certa regula eis indita à natura eis pro conseruatione sui esse necessaria. Genus etiam suum conseruant pullos quę & fœtus ex instincta naturę nutriunt, & contraria sui esse ex natura timent. Et secundum *Iohannem Gerson*, Lex naturalis animalium est lex illa quam habet quodlibet animal non impeditum nec indispositum. Sed de hac lege non est ad presens intentio vlterius tractandi. Lex vero naturę specialiter considerata respicit solum ad creaturam rationalem humanam ad imaginem Dei creatam, quę à quibusdam etiam dicitur Ius gentium. Nam inter omnes gentes seruari debet tam inter Iudeos & Gentiles quam Christianos. Et hęc in lege illa quę inter peritos Legis Angliæ vocatur Lex rationis: Quam etiam ratio naturalis constituit inter omnes homines, ita quod ad illã obseruandam inest instinctus communis omnibus hominibus. Et secundum *Iohannem Gerson*: est signum naturaliter habitum notificatum rectę rationis diuinę volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agẽdum vel non agendũ pro confectione

finis

finis sui naturalis qui est fœlicitas humana siue monastica, siue yconomica, siue politica, dicitur autem signum naturaliter habitum illud quod inditum est cuilibet hoc non impedito vsu debito rationis. Et sic lex rationis nihil aliud est quam participatio vel notio Legis æternę in creatura rationali ei reuelatę per lumen naturale rationis, per quod habent naturalem inclinationem ad debitum actum & finem, vnde dicitur in Psamo: *Signatum est super nos lumen vultus tui domine scilicet lumen veritatis, nam lumen vultus domini est veritas.* Et Lex ista in se semper bona & recta est incitans quæ est inclinans ad bonum et abhorens malum. Et quantum ad agibilia etiam Legi diuinæ præfertur. Scribiturque hæc Lex in corde cuiuslibet hominis, docens eum quid agendum, & quid fugiendum vnde dicit apostolus ad Romanos secundo. *Omnes gentes qui legem S. scriptam non habent, naturaliter ea quæ Legis sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et quod Lex rationis in corde scribitur ideo deleri

non potest, nec etiam recipit mutationem ex loco nec tempore sed vbique, et inter omnes homines seruari debet. Nam iura naturalia immutabilia sunt, et ratio immutationis est quod recipiunt naturam rei profundamente, quæ semper eadem est et vbique. Et ideo de hac lege dicitur quinto Ethicorum, quod est vbique & semper. Et contra eam non est præscriptio vel ad apposito statutum siue consuetudo. Et si aliqua fiat non sunt statuta siue consuetudines sed corruptele. Omnes quoq; alie leges tam diuine quá humane, quantum ad agibilia fundantur superea. Nam principia agibilia sunt impressa intellectui practico ex quibus diriuantur leges quasi quedam conclusiones, sicut intellectui speculatiuo impressa sunt prima principia speculabilium ex quibus diriuantur scientiæ quasi quedam veritates concluse. STVDENS. Cum lex rationis vt superius dixisti scripta sit in corde cuiuslibet hominis, docens eum quid agendum & quid fugiendum quid etiam deleri non potest, quid igitur opus fuit aliquá aliam legem scriptam induci maxime de agendis? DOCTOR. Licet lex rationis

rationis non potest mutari nec totaliter deleri vt dictum est supra, multum tamen impedita et obfuscata fuit ante legē scriptam per consuetudines malas, et per peccata multa etiam vltra peccatum originale, ita quod obscurato libro cordis interiori, et velut oblitterato & male contracto per diuersas passiones, vix poterat legi, vix ab homine discerni, quid rectum ob obliquo, quid bonum à malo quid iustum ab iniusto: Necessarium igitur fuit quod daretur liber extrinsecus continens leges & precepta per tradicionem dei et hominum sapientum quorum lucidiora adhuc erant corda vel per diuinam cœlitus illustrationem vel per humanam investigationem iuuantibus ad hoc moribus bonis qui miro modo illuminãt. Vna igitur causa dandi legem scriptam dicitur à sanctis fuisse propter legis rationis obfuscationem & non propter eius mutationem, alia quoque causa dandi legem scriptam fuit ad supplendū quod legi rationis deerat. Nam licet lex illa sufficiens fuit ad ostendendū quid agendum & quid fugiendum non fuit tamen in omnibus sufficiens ad coercendum malos bo-

nosq; præminandum. Multa igitur super legem rationis superaddi oportuit pro republica bene gubernanda tam per Ecclesiam quam per principes seculares iuxta mores patriæ & populi vbi tales superadditiones exerceri deberent. Et vlterius sciendum est quod lex rationis differt a diuina dupliciter. s. ex parte acquisitionis & ex parte finis. Ex parte acquisitionis differt sic, nam lex diuina acquiritur per reuelationem à deo factam vt in suo loco dicetur. Lex vero rationis ex naturali lumine intellectus. Differunt etiam ex parte finis, nam lex diuina de propinquo & de se ordinat ad felicitatem æternam, lex rationis vero ad felicitatem humanam huius vitæ.

STVDENS. Sed nunquid lex rationis non ordinauit homines secundum eam ante passionem Christi pie viuentes ad felicitatẽ æternam. DOCTOR. Immo cum fide in Christo aliter non. Quia nunquam potuit aliquis ad felicitatem æternam peruenire sine fide in Christo. s. aut quod venturus fuit sicut fuit in Sanctis Patribus ante passionem Christi aut quod venit sicut in nobis habetur. Et quia ex sola

ex ſola ratione talis fides acquiri non poteſt, ideo dicitur quod lex rationis non de ſe ordinat ad fælicitatem æternam: Et propter hoc vt predicitur differt à diuina quę de per ſe ordinat ad eam docens Chriſtum incarnatum natum & paſſum, alios quoq; articulos fidei & ſacramenta Eccleſiæ cum alijs ad felicitatem æternam pertinentibus miniſtrat vnde ſeruantes ea viuent in æternum. STVDENS. Sed quæ ſunt illa quæ lex rationis docet agenda & quæ fugienda. DOCTOR. Lex rationis habet multa præcepta quędã communiſſima omnib' nota vt ſcilicet, bonum eſt proſequendum et diligendum & malum fugiendũ. Item hoc facias alteri quod tibi vis fieri. Et quod non facias alteri quod tibi non vis fieri. Item quod nihil poſſumus contra veritatem. Item quod homo cum alijs pacifice viuat. Item quod iuſticia eſt cuilibet facienda. Item iniuſticia non eſt alicui facienda. Item quod tranſgreſſor eſt puniendus & ſimilia multa. Ex quibus ſequuntur quędam ſecundaria precepta magis propria quæ ſunt quaſi concluſiones propinquę prioribus, vt ex hoc

precepto quod malum est vitandum, sequitur murdrum siue occisio innocentis est malum, ergo est vitandū & sic de alijs. Item ex hoc quod bonū est diligendum, sequitur quod aliquis diligat benefactorem suum, nam benefactor secundū quod huiusmodi est includit in se rationem boni, alias nō debet dici benefactor sed malefactor, et sic omni tempore & loco diligendus est secundum quod huiusmodi. Item vt probat Ph'us xij. meteriorum ex hac lege cognoscit homo vnum tantum esse deum ex quo sequitur formaliter qd' nihil quod non est deus est pro deo colendus & quod homo non habeat deos alienos Et quod non assumat nomen dei in vanum nec faciat deo irreuerentiam sed eum honorat & diligat: Et sic de alijs generalibus preceptis legis rationis formantur multe alie conclusiones secundarie de quibus non est ad presens dicendum. Lex etiam rationis concurrit cum omni lege humana & etiā diuina in agibilibus & in omni lege debet seruari & declarare ea debet quę ex regulis generalibus legis humane sequuntur & regulas generales legis & vota quecunq; restringere

gere cum ei in aliquo contrariantur. Insuper lex rationis permittat plurima fieri, vt scilicet quod licitũ est vim vi repellere, et quod fas est vnicuique se tueri & rem suam defendere contra vim iniustam. Itẽ notandum est quod lex illa vnde habebatur quod esset inter omnes homines cõmunis omnium possessio secundum quosdam nunquam fuit de lege rationis, quæ dicunt quod lex rationis non recipit mutationem, hæc vero lex scilicet quod esset omnium communis possessio mutari potest immo & mutatur vt euidenter patet, igitur affirmant illi quod nunquam fuit de lege rationis. Et dicunt vlterius quod verba *Gratiani* quę habetur dicitur prima s. quod communis omnium possessio sit de lege rationis vt lex rationis hic accipitur, intelligi debent quod in tempore necessitatis omnia per legem rationis sunt communia aliter non. Potuit enim Lex proprietatis à principio institui, sed quia adhuc populi pauci erant numero satis conueniens & necessaria fuit Lex illa scilicet vt omnia fierent cũmunia. Sed cum multiplicat' est populus necessarium fuit habere legẽ proprietatis ne pigri & mali

bonos grauarent. Et dicitur hanc legem proprietatis primo introductam fuisse per Nemroth qui fuit robustus venator coram domino vnde ad presens non est tractandum.

De Lege diuina.

Cap. 3.

DOCTOR. Lex diuina est signum verum rationali creaturę reuelatum notificatiuum rectè rationis diuinę volentis illam creaturam rationalem teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum pro consecutione felicitatis æternę. Et dicitur reuelatū ad excludendum legem rationis & legem humanam quæ non habentur per reuelationem imediate à Deo. Et dicitur pro consecutione felicitatis æternę ad excludēdum leges politicas etiam a Deo reuelatas vt sunt leges veteris testamenti quæ dicuntur iudiciales, vnde non ideo precise dicitur lex aliqua diuina seu de iure diuino appropriate quia reuelata sed quia principaliter dirigit ad fælicitatem æternam. Tradidit

Tradidit enim Deus plures Leges patribus veteris teſtamenti pro regimine politico & ciuili vtpote iuditiales quę non immediata & directa intentione ordinant ad finem vltimum: Ideo non ſunt proprie diuinę. Eſt igitur Lex aliqua diuina, ſeu de iure diuino appropiate, quia a Deo reuelata, & quia de propinquo dirigit ad fœlicitatem ęternam vt ſunt Leges veteris Teſtamenti quę dicuntur morales: Et Lex euangelica quæ multo excellentiori modo reuelata eſt quam Lex veteris Teſtamenti: nam illa mediante Angelo, iſta mediante domino noſtro Ieſu Chriſto Deo & homine. Dicitur etiam aliquando Lex ab homine inſtituta Lex diuina improprie tamen cum finis ſcilicet Legis eſt conſecutio fœlicitatis ęternę, vnde dicit *Iohannes Gerſon* in tractatu de Non eſu carnium; Fuit inquit quotidie Leges de malefactoribus occidendis quæ non ſunt ſolum humanę, immo fundamentum principale & auctoritatis robur ſorciuntur a Lege diuina iubente, vt populus ſuus tollat malum de medio ſui, & quod membrum quod ſcandalizat abſcindatur. Cum igitur lex

lex ab homine posita principaliter ceperit fundamentum ex lege diuina, factaque est pro declaratione siue conseruatione fidei & ad deponendum hæreses, diuina potius dicenda est quam humana. Lex quoque diuina omnino dicitur recta & iusta, quia est lata & condita iuxta diuinam voluntatem, quę dicitur metrum vel mensura omnium actuum humanorum. Et ideo actus humani in tantum dicuntur & sunt iusti & recti, in quantum sunt facti iuxa diuinam legem & sunt ipsi conformes. In Lege etiam pure diuina possunt assignari tres gradus. In primo gradu ponuntur Leges reuelatę à Deo pro tota communitate hominum, aut principaliori partę scriptę in Biblia, & principaliter in Euangelijs latis a Xpo, & in hac lege Christo reuelata non solum accipiuntur pro Lege diuina, præcepta & prohibitiones quæ in Euangelijs continentur quę solum pertinent ad legem propriè dictam, sed etiam consilia & promissiones præmiorum comminationesq; suppliciorum, quę licet non sunt de substantia legis propriè dictę, quia nec ligant nec soluunt, eo quod per ea nihil obligatur aut

aut prohibetur, ipsa tamen sunt certissima adiutoria ad legem sustinendam, & ideo dicuntur partes legis diuinę generaliter dictę. In secundo gradu ponuntur Leges diuinę, quę ex precedentibus solum deducuntur in consequentia euidenti. In tertio gradu ponuntur Leges diuinę ex prędictis deductę per successiuam relationem Apostolorum & aliorum equiualentem sacræ scripturę, sicut determinationes Ecclesiæ quæ in hijs quę sunt ad fidem creditur regi spiritu sancto, errareq; non posse licet in hijs quę sunt facti errare potest. Sed timen non omnes Leges canonicę sunt de iure diuino, nam plures earum ad politicam solum populi conuersationem sunt accommodate, quæ potius inter leges humanas quam diuinas numerandę sunt. Insuper preter Legem rationis & humanam necessarium fuit ad directionem humanę vitę habere legem diuinam propter quatuor rationes. Primo quia cum homo ordinatur ad finem beatitudinis ęternæ quę excedit proportionem naturalis facultatis humanę, necessarium fuit vt supra Legem rationis et Legem humanam dirigeretur etiam ad suum finem

finem lege diuinitus instituta. Secundo quia propter incertitudinem humani iuditij precipue de rebus contingentibus et particularibus contingit sepe de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia, ex quibus etiam diuerse & contrarie Leges procedunt, vt ergo homo absq; omni dubitatione scire potest quid ei sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit vt in actibus propris dirigeretur per legem diuinitus datam, de qua constat quod nullo modo valeat deuiare. Tertio quia de hijs potest homo legem ferre de quibus potest iudicare. Iudicium autem hominis non potest esse de interioribus actibus, sed de exterioribus tantum, et tamen ad perfectionem requiritur quod in vtriisque homo rectus existat: Ideo necessarium fuit habere legem diuinam que hominem de interioribus sicut de exterioribus rectificaret. Quarto quia sicut *Augustinus* dicit in primo de Libero arbitrio; Lex humana non potest omnia mala punire: nam dum auferentur mala etiam bona auferentur, vt est de contractubus, et sic impediretur vtilitas boni communi quod est necessarium ad huma-

humanam conuersationem, vt ergo nullum malum impunitum remaneret: necessaria fuit Lex diuina quę nullum malum demittat impunitum: Et hę quatuor rationes tanguntur in hoc versu: Lex domini immaculata, conuertens animas testimonium domini fidele sapientiam prestans paruulis. Dicitur enim Lex Domini immaculata. i. nullam turpitudinem peccati admittens, et conuertens animas, quia non solum actus exteriores punit, sed etiam interiores. Testimonium domini fidele propter certitudinem veritatis & rectitudinis, sapientiam prestans paruullis in quantum ordinat homines ad supernaturalem finem & diuinum.

¶ *De Lege humana.*

Cap. 4.

DOCTOR. Lex humana siue positiua est lex per rationem ex Lege rationis & diuina deducta in consequentijs probabilibus necessarijs quę ad finem debitum humanæ naturę: Dicitur autem probabile quod pluribus & maxime sapien-

sapientibus apparet verum. Ideoq; in omni lege positiua bene instituta, est aliquid de Lege rationis & diuina. Discernere quoque Ius diuinum & Legem rationis à positiua sicut est difficile, sic itaq; maximè necessarium est in omni doctrina morali & politica. Et hoc fieri perfectè nequit absq; sacra sapientia quę Legibus æternis innititur atquè fundatur. Lex quoque humana sic describitur, Lex humana est signum verum humana traditione & auctoritatę immediatè constitutum notificatiuum rectę rationis volentis rationalem creaturam ad aliquid agendum vel non agendum propter finem aliquem rationi consonum spiritualem vel temporalem obligare: Et vt Lex humana sit iusta requiruntur in legis latore duo, scilicet, prudentia & auctoritas. Prudentia, vt secúdum rectam rationem practicam dictet quid faciendum sit pro communitate, & quid expediat ad finem debitum & ad pacificam conuersationem & necessariam communitatis sustentationem. Auctoritas: vt scilicet habeat auctoritatem leges condendi, quia dicitur Lex à ligando. Sed non quęcunque sententia prudentis

ligat

ligat communitatem, nec aliquem si nullo præsideat. In Lege etiam humana (secundum *Isidorum* libro quinto Ethimologiarum) requiruntur hę proprietates, scilicet, quod sit honesta, iusta, possibilis secundum naturam : & secundum consuetudinem patriæ : loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate conscripta. Item omnis Lex bona ordinari debet ad salutem animę, & ad præcepta Dei perficienda ad mala desideria fugienda, & ad bona opera quę desiderari discretè debent quęrenda, vt habetur quarto libro Reuelationum beatæ *Birgittæ cap*. CXXIX. Dicitur etiam Lex humana iusta ex fine, ex auctore, & ex forma. Ex fine quando ordinatur ad bonum commune. Ex auctore quando non excedit auctoritatem ferentis. Ex forma quando secundum proportionem imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune: Et si onera inequaliter imponuntur multitudini licet ordinetur ad bonum commune : in foro conscientiæ non ligat. Item vt scribitur dominus

dominus Cardinalis camer', quicquid est iustum Lege humana, est iustum Lege diuina, nam omnis Lex humana debet esse consona legi diuinę. Ideoq; nullum principis ędictum, prelati preceptum, politice statutum, aut Ecclesię edictum est iustum vel iuste obligatorium, nisi sit diuinę Legi consonum. Vnde dicit *Aliacens*; Quicquid est iustum aliquo iure, est iustum iure diuino, & quicquid iure diuino est iustum, nullo iure est iniustum, vnde sequitur quod quicquid est iustum in foro interiori, est iustum in foro exteriori. Ex tali quoque Lege humana patet, vnde est iustitia in terrarum possessione & domino rerum. Nam quicquid secundum huiusmodi Leges humanas possidetur, iustè possidetur, quod vero contra eas tenetur iniustè tenetur, quia Leges humanę non contrarię Legi diuinę debent seruari etiam in foro animę, & qui eas spernit Deum spernit, & Deo resistit. Dicit itaquè Philosophus in secundo Ethicorum; Quod melius est omnes ordinari lege certa & positiua, quam dimittere iuditium arbitrio propter tria. Primo quia facilius est

eſt inuenire paucos qui ſufficiunt ad rectas leges ponendas, quam multos qui requirerentur iudicare de ſingulis. Secundo quia illi qui legem ponunt ex multo tempore conſiderant quid lege ferendum ſit. Sed iudicia de ſingulis factis fiunt ex cauſis ſubito ortis. Facilius autem ex multis conſideratis poteſt homo videre quid rectum ſit quam ex vno ſolo facto. Tertio quia legis latores iudicant in vniuerſali et de futuris. Sed homines iudicio preſidentes iudicant de preſentibus ad quæ afficiuntur amore vel odio vel aliqua cupiditate, & ſic eorũ deprauatur iudicium, quia igitur iuſtitia animata iudicis non in multis inuenitur, et quia flexibilis eſt ideo neceſſarium eſt, vt in quibuſcunq; eſt poſſibile, legem determinare quid iudicandum ſit vt pauciſſimorum hominum arbitrio dimittatur. *Et quia vt dicit Gratianus, oderunt peccare mali formidine pœnæ:* neceſſarium igitur fuit vt pene variæ pro varijs delictis ferentur, quemadmodum pro diuerſitate morborum ordinant medici diuerſitatem remediorum particularum vltra ea quæ cognoſcuntur ex principijs Philoſophie naturalis vel ſue me-

dicine generalis, huiusmodi enim pœnæ, arbitrantur & ordinantur per legum latores secundum necessitatem temporis & populi dispositionem, quę licet conformitatem quandam habent ad legem diuinam in hoc quod non ei palam dissonant alioquin essent inique: Nihilominus non ita pertinent ad eam quin aliæ pœnæ possent æqualiter stantibus illis principijs constitui, et hoc est ius quod appellamus pure positiuum & humanum. Dicit etiam Philosophus in Ethicorum, quod intentio legis latoris est homines bonos facere et inducere ad virtutes. Ex prędictis quoque patet, quod lex diuina principaliter respicit finem spiritualem, lex rationis naturalem: lex vero humana ad vtramq; potest dirigere. Lex etiam rationis recipit naturam rei pro fundamento: lex vero humana expedientiam publicam. Et licet in generali aliquid superius dixerim vnde Lex Angliæ ceperit fundamenta nam necesse est vt ex legibus prædictis, scilicet, ex lege æterna: ex lege rationis: et ex lege diuina fundatur, si tamen bona sit: Nihilominus supplico vt magis in speciali edicas vnde ceperit fundamenta

menta ſecundum opinionem tuam ſicut te facturum ſuperius promiſiſti. STVDENS. Id iuxta poſſe meum libenter faciam nam viam plenam & rectam ad hoc mihi oſtendiſti. Ideo ſcias quod lex Angliæ cepit fundamenta ex ſex principijs principalibus. Primo ex lege rationis. Secundo ex Lege diuina. Tertio ex diuerſis conſuetudinibus generalibus regni. Quarto ex diuerſis principijs quę maxima vocantur. Quinto ex diuerſis conſuetudinibus perticularibus. Sexto ex diuerſis ſtatutis per commune conſilium Regni in Parliamentis editis de quibus fundamentis dicetur ſecundum ordinem capitulorũ ſuorum & primo de lege rationis.

De primo fundamento Legis Angliæ.

Cap. 5.

STVDENS. Primum fundamentum Legis Angliæ eſt lex rationis de qua ſuperius tractaſti. Capitulo ſecundo

quæ in hoc regno ſicut in omnibus alijs regnis vbiq; tenentur. DOCTOR. Sed quæ dicuntur eſſe de Lege rationis ſecundum Leges Angliæ audire deſidero. STVDENS. Ponuntur per peritos Legis Angliæ duo gradus legis rationis, ſcilicet Lex rationis primarie & Lex rationis ſecundarie. Ex lege rationis primarie prohibentur in legibus Angliæ murdrũ, homicidium innocentis, periurię, deceptiones, pacis perturbatio, & ſimilia multa. Sed modus puniendi huiuſmodi offenſus habetur ſecũdum diuerſa principia maxima ſiue ſtatuta legis Angliæ ad hoc ſpecialiter ordinata, de quibus non eſt ad preſens intentio tractandi. Item in eadem lege rationis primarie habetur in legibus Angliæ quod homines pacificè viuant & quod ille qui pacem perturbat punietur. Et quod licitum eſt vim vi repellere pro tuitione corporis debitis circũſtantijs ſeruatis. Item quod ſi aliqua promiſſio fiat per minas corpori quod nullius eſt vigoris in lege. Et vocatur lex rationis primarie eo quod ea quæ per legem illam prę cipiuntur ſeu prohibentur ex ſola ratione ſine aliqua alia lege ei appoſita fundan-

fundantur, et nihil precipit nec prohibet nisi ea quæ quilibet rationem habens in quantum homo est cognoscit esse ex ratione precipienda vel prohibenda. Lex rationis secundarie similiter diuidetur in duo: scilicet in legem rationis secundarie generalem & in legem rationis secundarie perticularem, lex rationis secundarie generalis fundatur & deriuatur ex illa generali lege siue generali consuetudine proprietatis, qua bona mobilia et immobilia in certam proprietatem deducuntur ita vt quilibet rem suam cognoscat. Et vocatur lex illa proprietatis lex siue consuetudo generalis eo quod per totum mundum diffunditur. Ex hac quoque lege proprietatis & ex ratione ex eadem lege proprietatis fundata & diriuata prohibentur in legibus Angliæ furta, dissesine, transgressiones de terris & catallis, rescussus, & alia multa. Sed punitio pro huiusmodi offensis habetur diuersis modis secundum diuersa maxima et statuta regni ad hoc ordinata vt superius dicitur. Item ex illa generali consuetudine proprietatis & ex ratione ex ea fundata precipitur in legibus Angliæ

satisfactio dampnorum pro transgressione, rei depositę restitutio, debiti solutio: et conuentionis perimpletio. Et dicitur lex illa lex rationis secundarie eo quod non solum fundatur ex ratione, sed etiam fundatur ex prædicta lege siue consuetudine proprietatis & ex ratione ex tali lege proprietatis diriuata. Nam qua prædicta lex proprietatis dicit talis res est proprium talis hominis, ideo dicit ratio ex illa lege fundata, ergo non est res illa ab eo sine voluntate sua iniuste capienda. Et quia non fuissent furtę, dissesine, & similia nota sub hijs vocabulis si illa lex proprietatis nō fuisset ordinata, ideo omnia illa quæ ex ratione & ex illa lege proprietatis fundantur seu prohibentur dicuntur fundari seu prohibere ex lege rationis secundarie generalis. Lex vero rationis secundarie perticularis est. Lex illa quæ fundatur ex diuersis consuetudinibus generalibus & perticularibus, & ex diuersis maximis & statutis in regno Angliæ habitis & ordinatis. Et vocatur lex rationis secundarie perticularis eo quod ratio illa diuiatur ex tali lege quæ solum

pro

pro lege tenetur in hoc regno Angliæ et non in alijs regnis. DOCTOR. Aliqua exempla de tali ratione secundaria perticulari vellem te ponere. STVDENS. Quędam consuetudo habetur in Anglia quod quis pro redditu seruitio vel pro redditu onerato distringere potest, et quod districtionem illam in parcum apertum debet ponere ibi remanere quousque de redditu & arreragijs inde soluatur, tunc quæri potest si aueria illa obierint in parco illo pro defectu victus, vtrum morientur ad periculum illius qui distrinxerit vel illius cui sit aueriorum proprietas. Ideo opinionem tuam inde audire vellem: quid tibi inde videtur. DOCTOR. Si talis sit lex vt dixisti quod licite potest quis districtionem capere & illam in parco aperto ponere & tunc ex iusta causa quis distrinxerit & districtionem illam secundum legem in parco aperto ponit: videtur quod si districtio illa obierit, quod nō erit sibi qui distrinxerit imputandum sed ei cui sit proprietas, quia in illo qui distrinxerit nullus potest assignari defectus

sed in alio assignari potest defect' eo qd' reddit̃um non soluit. STVDENS. Recte iudicasti sed quis te docuit nisi ratio fundata ex consuetudine predicta, ita quod nec opus est aliquam legem scriptā inde haberi. Item per quoddam statutum ordinatur quod qui terrā abiurauerit dum sit in strata publica sit sub pace domini Regis nec debet in aliquo molestari, & ex regni consuetudine habetur quod talis abiuratus conducetur de villa in villam per constabularios villarum &c. quousque ad portum maris sibi assignatū per coronatorem regis perueniat: vnde queri potest si talis abiuratus escapiauerit in via & a constabularijs effugerit, verum constabularij illi de escapia domino regi inde onerari debent. DOCTOR. Mihi videtur quod quia constabularij ratione Statuti prædicti non possunt eum saluum custodire nec aliquam vim aut imprisonamentum ei inferre vt sibi custodiatur, non esset rationabile vt constabularij illi de aliqua escapia onerarentur. STVDENS. Et iterum recte iudicasti & satis patet quod ratio

ex

ex ſtatuto prędicto fundata te docuit, nec opus eſt exempla multa inde accumulare. Nam tantę rationes ſecundarie inueniuntur in Legibus Anglię, quod multi affirmare voluerint totam Legem Angliæ ratione probari, quod tamen nullo modo eſt affirmandum vt inferius patebit. Item roberia quę eſt felonica captio bonorum à perſona alterius dicitur à quibuſdam fuiſſe prohibita ex ratione primaria etiam ante legem proprietatis licet non ſub eodem vocabulo: nam dicunt illi quod nunquam fuit licitum, nec etiam quando omnia fuerunt communia aliqua bona a perſona hominis vi arripere nec aliquem a loco in quo habitauit eiecere, licet diſſeiſina dici non potuit: quod tamen ſapientioribus committo. Sed quod pro tali roberia tranſgreſſor morte punietur certum eſt haberi ex regni conſuetudine. Similiter furtum prohibetur ex lege rationis ſecundarie generali de qua ſupradictum eſt, ſed quod pro tali furto ſi ad xij. denarios attingat, delinquens morte punietur ex regni conſuetudine habetur. Item excipiuntur a prędicta generali lege proprietatis in Legibus Anglię, aues, fere,

&

& beſtię warrennę, de quibus ſecundum Leges Anglię nulla proprietas ex ratione in aliquo haberi poteſt niſi domeſtica ſit: Et ideo in breuibus de trangreſſione quare parcum vel liberam warrennam intrauit, non dicitur feras ſuas vel cuniculos ſuos cępit, quia hoc pronomen (ſuum) importat proprietatem quę de talibus ſecundum Leges Anglię in nullo affirmari poteſt vt ſuperius dicitur. Habetur tamen ſecundum Leges Angliæ proprietas in ouis eſperueriorum, & ſimilium nidificantium in boſcis alicuius, licet ſint extra foreſtas, chaceas, parcos, aut warrennas. Item quia vt ſuperius dixiſti Lex rationis concurrit cum omni Lege humana, ideo licitum eſt in Legibus Angliæ tractare & inueſtigare per talem rationem ſecundarium quid ex principijs Legis Anglię neceſſarie in conſequentia euidenti ſequi videtur, vel quid rationabilius pro iure cuiuſlibet ſaluando ex ratione & ex antiquis maximis Legis conſequitur ſeruatis principijs quę in Legibus Angliæ omnino ſeruari debent: Nam omnis deductio rationis in Legibus Anglię

glię ex primis principijs procedit vel ab aliquo quod a primis principijs diriuatur. Nec poteſt aliquis licet etiam ſapientiſſimus fuit iuſtè iudicare ſiue rectè ratiocinari in Legibus Angliæ ignotis principijs. Omnes quoq; prędictę diſtinctiones & diuerſitates Legis rationis inueniuntur in libris Legum Angliæ ſub eodem ſenſu quo prædicitur, licet non ſub eiſdem verbis, quia non habetur in Legibus Angliæ aliqua Lex ſpecialis ſcripta de tali lege rationis, nec multum habetur in viſu inter peritos Legis Anglię arguere vtrum tale ſit de lege rationis primarię, vel de lege rationis ſecundarię generali, nam ex ſeipſis noſcuntur. Sed pro notitia Legis rationis ſecundariæ particularis maior reſtat difficultas. Nam Lex illa diriuatur ex aliquo vno maximo, vel fortè ex plurimis maximis Legis Angliæ vt ſupra dicitur, ad cuius deductionem non ſemper habetur tam facilis aggreſſus: Et ideo pro vera deductione hniuſmodi Legis rationis particularis, & pro vera notitia inde habenda, multum dependit modus argu-

arguendi in Legibus Anglię. Item sciendum est quod ratio primaria de qua in hoc capitulo tractatur solum intelligitur de ratione primaria in rationali creatura, quia de ratione primaria quę est ipsa Lex ęterna, de qua superius habetur capitulo primo, non est in hoc capitulo intentio tractandi.

¶ *De secundo fundamento Legis Angliæ. Cap. 6.*

STVDENS. Secundum fundamentum Legis Angliæ est Lex diuina, vnde ad puniendum transgressores contra Legem diuinam Lex Angliæ in pluribus Curijs domini Regis inquiret de Hereticis. Etiam si aliquod Statutum esse ędictum contra eos nullius vigoris in Legibus Anglię censeri debet: vt si ordinatum fuerit quod nullę darentur eliemosinę, statutum illud esse vacuum. Tamen statutum ędictum anno vicesimo tertio Edw. tertij, Quod nullus sub pœna imprisonamenti validis mendicantibus qui commode laborare poterint sub colore eliemosinę quicquam det, vt sic compellantur pro vite necessa-

rijs

rijs laborare, illud esset statutum bonum, nam intentionem Legis diuinę obseruat. Item excommunicati actionem in legibus Anglię prosequi non possunt, ne cum alijs communicarent dummodo excommunicatio illa coram Iusticiarijs Regis secundum legem certificata fuerit. Et ex eodem fundamento admittit Lex Anglię iurisdictionem spiritualem de decimis, oblationibus, obuentionibus, & de omnibus alijs quę ad iurisdictionem ecclesiasticam de iure pertinent. Et recipit etiam omnes Leges canonicas siue Leges ecclesiasticas rite ordinatas quę non excedunt potestatem ferentis, ita quod in multis casibus oportet Iusticiarios Regis secundum Leges Ecclesiæ iudicare. DOCTOR. Quomodo potest hoc fieri, quod Iusticiarij Regis iudicare debent in curijs Regis secundum Leges ecclesię: nam videtur quod Ecclesia in hijs de quibus potest legem statuere potius debet etiam inde iudicare quàm curia Regis. STVDENS. Hoc iustè fieri potest ex causis plurimis. DOCTOR. Aliquos casus inde vellem audire. STVDENS. Si in aliqua actione prosecuta in curijs Regis bastardia

bastardia generalis allegata sit in aliquo qui est extraneus ad breue: debet probari & triari per Iuratam, & non per Ordinarium, quod fit ex tali consideratione vt sequitur: nam si breue inde dirigeretur ad Ordinarium ad certificandum vtrum bastardus sit vel non, si ille certificaret quod esset bastardus, semper a iure suo esset excluſus licet secundum veritatem esset legittimè natus, quia certificatio Ordinarij in tali casu secundum Leges Angliæ tantę est auctoritatis & vigoris quod omnes concludit siue excludit tam partes quam extraneos. Et ideo non permittit Lex Anglię quod breue in tali casu Ordinario dirigeretur, per cuius certificationem aliquis extraneus ignorans & absens ex hereditatione perpetua fortè pateretur: Propter quod curia domini Regis bastardiam illam probare & triare debet per Iuratam, per quam extraneus ille non erit excluſus a iure suo, licet Iuratores illi contra veritatem dictauerint, vnde si in tali casu Iuratores illi donant veredictum ad largum, & aliquam materiam specialem inuenerint de illa bastardia generali petentes

tentes Iustitiariorum auxilium ad discernendum vtrum sit bastardus vel non: tunc si quæstio bastardiæ illius ex Lege ecclesiæ dependit, secundum Legem ecclesiæ iudicari debeat: nec tamen in tali casu iudicant Regis Iusticiarij de his quæ ad ecclesiam pertinent, sed iudicium suum de re petita quę etiam de iure ad Curiam Regis pertinet secundum Legem Ecclesię formant. Item si Rector alicuius Ecclesię prosequatur breue de transgressione de decimis asportatis versus seruientem alterius Rectoris, in tali casu Curia Regis habebit cognitionem, eo quod ius decimarum inter Rectorem illum et seruientem alterius determinari non potest: vnde si aliqua prescriptio, aut aliqua materia secundum Legem Ecclesię placitetur inter eos, secundum Legem ecclesiæ iudicari debet in Curia Regis. Item si aliquis breue de Recto de custodia hæredis &c. prosequatur versus aliquem qui placitat quod antecessor infantis tenuit de quęrente & quod infans fuit maritatus in vita antecessoris &c. super quo

quo Iuratores ad hoc electi tale reddant veredictum quod heres ille in vita patris sui maritatus fuit: Et quod postea in vita patris mulier deuortium prosecuta fuerit, & sententiam deuortij obtinuit, super quo heres a sententia illa appellauit quę hucusq; indiscussa dependit: Et dicunt vlterius, quod postea pater heredis obijt, heredę illo infra etatem xxj. annorum existente, super quo quęrens eo quod pater heredis illius terram suam ab eo tenuit per seruitium militare heredem illum in custodiam suam seisire fecit quem defendens ex assensu heredis ab eo vi arripuit, petentes Iustitiariorum auxilium: vtrum defendens culpabilis sit vel non: in hoc casu si Lex ecclesię sit quod sententia deuortij illius stat in suo robore & virtute quousque super dicta appellatione adnulletur, tunc heres illę tempore mortis patris sui immaritatus fuerit: Ita quod custodia & maritagium sua ad dominú suum pertinent, & tunc exitus triatur & redditur pro petente: Et si Lex Ecclesię sit quod sententia illius deuortij non sit in suo robore quousq; super appellatione illa affirmetur, tunc heres ille hucusque maritatus

est,

eſt, ita quod corpus ſuum in cuſtodia eſſe non poteſt, et tunc exitus triatur ac reditur pro defendente, & ſic in hijs caſibus, et in multis alijs oportet quod iudices domini Regis iudicium ſuum formant ſecundum legem Eccleſiæ, ſicut in pluribus caſibus oportet etiam quod iudices Eccleſiaſtici iudicium ſuum ſecundum leges Angliæ formãt. DOCTOR. Quomodo poteſt hoc fieri ſcilicet quod iudices Eccleſiaſtici iudicarent ſecundum legem Angliæ: vellem te igitur pro maiori declaratione in hac parte aliquem caſum idem ponere. STVDENS. Licet ſit aliquãtulum digreſſio a propoſito noſtro tamẽ petitioni tuę contradicere nolo, Ideo ſcias quod ſi quis dederit Iohanni at Style & Willihelmo at Noke coniunctim bona & catalla ad valentiam C. librarum, et poſtea dictus Iohannes at Stile per vltimam voluntatem ſuam dat et legat portionem inde ei competentem Henrico Hert & obijt, in hoc caſu ſi Henricus Hert petat executionem illius voluntatis in curia Chriſtianitatis, tenentur iudices eccleſiaſtici iudicare voluntatem illam fore vacuam, nam ſecundum leges

Cap. 7. De consuetudinibus Regni.

Angliæ ille qui superuixerit omnia bona illa gaudebit p ius accrescendi ratione prioris doni, et sic titulus su' antiquior est titulo illius qui clamat per voluntatem illam. Et ideo sicut ille qui superuixerit habet ius secundum legem terræ quæ habet de temporalibus iudicare, sic habet ius coram quocunque alio iudice. Et in huiusmodi casu possunt iudices Ecclesiastici processum facere pro executione voluntatis illius, quia ad iurisdictionem ecclesiasticã pertinet maxime cum secta illa capiatur versus executores.

De tertio fundamento Legis Anglia.

Cap. 7.

STVDENS. Tertium fundamentum legis Angliæ habetur ex diuersis cõsuetudinibus generalibus per totum regnum Angliæ ex antiquo tempore vsitatis per dominum regem & progenitores suos & eorum subditos acceptis & approbatis. Et quia consuetudines ille nec contra

tra legem diuinam nec contra rationem in aliquo existunt, et pro bono communi totius regni ex earum diuturnitate censentur fore necessarie, vim legis retinent. Et qui contra eas attemptauerit contra legem & iustitiam operatur. Et hæ sunt ille consuetudines quæ proprie dicuntur lex communis: Et semper determinari oportet per iudices vtrum sit talis lex siue consuetudo generalis vt prætenditur vel non, et nō per patriā. Et ex istis consuetudinib' generalibus & aljs principijs siue maximis legis Angl.æ de quibus inferius dicetur depēdit maxima pars toti' Legis Angliæ. Et ideo dominus Rex in coronatione sua inter alia, sacramentum prestat speciale quod omnes consuetudines regni fideliter obseruet. DOCTOR. De illis consuetudinibus generalibus supplico aliquas pro exemplo ostendas. STVDENS. Libenter faciam. Et primo ostendā quod antiqua consuetudo regni est origo & fundamentum diuersarum curiarum in eodem regno vsitatarum: vnde vna vocatur cancellaria regis, in qua inter alia impetrantur breuia originalia aljs curijs regis iuxta necessitatem quæ-

rentium diringenda, Alia curia vocatur bancus regis in qua tractantur proditiones, murdra, homicidia, felonia, & alia contra pacem regis facta. Et alia curia vocatur communis bancus in qua tractantur comunia placita, scilicet de terris et tenementis, et de debitis, et de catallis et hijs similibus. Alia etiam curia vocatur scaccarium regis, in qua tractantur diuersa negotia ipsum dominum regem solummodo tangentia, vt de vic', escaetis, receptoribus, balliuis, et alijs officiarijs regijs et hijs similibus. Heę itaque curię vocantur & sunt curiæ de recordo, quia illi qui in eis president per litēras patentes regis assignari debēt. Habentq; curiæ ille multas & diuersas authoritates de quibus non est ad presens dicendū. Item diuerse alię curiæ in regno Angliæ sunt minoris tum authoritatis quam curiæ prædictę, nam in quolibet comitatu infra regnum est quędam curia quæ vocatur comitatus: Et alia quæ vocatur turnus vicecomitis: Et in quolibet manerio infra regnum habetur quædam curia eidē manerio incidens quæ vocatur curia baronis: Et in omnibus nundinis & ferijs habe-

habetur quædam curia eisdem ferijs incidens quæ vocatur curia pedis pulueri-sati quæ solum tenebitur durante tempore feriarum illarum. Et licet in quibusdam statutis & in diuersis libris Legum Angliæ habetur mentio de authoritate illarum curiarum: tamen de earum institutione vt scilicet tales curiæ fiant, nulla lex scripta in legibus Angliæ habetur, nam earum institutio solum ex antiqua consuetudine regni dependit, quæ etiam consuetudo tante authoritatis habetur, quod non possunt curiæ ille nec earum authoritates alterari nec earum nomina mutari absque Parliamento. Item ex antiqua cõsuetudine regni habetur quod omnes faciant & recipiant iustitiam in curia Regis: Et illa consuetudo confirmatur per statutum de Marlebrig. cap. 1. quod tale est. Omnes tam maiores quam minores iustitiam faciant & recipiant in curia Regis, et nullus vltiones aut districtiones faciat absque consideratione Curiæ domini Regis licet dampnum vel iniuria sibi fiant à vicino suo.

Item ex consuetudine regni habetur quod nullus mittetur ad respondendum

nec iudicetur nisi secundum legem terræ. Et hęc consuetudo confirmatur per Magnam Cartam cap. xxvj. vbi sic habetur. Nullus liber homo capietur aut imprisonetur aut dissesietur aut alio modo destruetur, nec super eum ibimus nec super eum mittemus nisi per legale iudicium parium suorum & per legem terræ. Aliæ quoque generales consuetudines Regni Angliæ habentur, quæ vim Legis retinent, nec absque Parliamento mutari possunt, de quibus aliquas breuiter dicam.

In primis ex antiqua cõsuetudine regni pro lege habentur: quod filius senior patri succedet in hereditate pre iunioribus.

Item quod si non sunt filij sed filię quod tunc omnes filiæ simul succedent patri vt vna hæres, et si nec sunt filij nec filiæ, tunc secundum leges Angliæ fratri vel sorori. Et si non sit frater nec soror, tunc alteri consanguineo vel consanguineę proximiori de quocunque longo gradu sit ab illo qui vltimo possessus fuit descẽdet hereditas.

Item si non sit aliquis hæres generalis nec specialis, tunc ad dominum feodi vt esca-

escaeta sua hereditas illa reuertetur.

Item per antiquam regni consuetudinem terra a filio ad patrē vel ad matrem nec ad alium antecessorem in recto lineo existens nunquam descendet siue ascendet sed potiꝰ ad dominū feodi reuertetur.

Item si frater medius terras perquirit in feodo & obijt sine herede de corpore suo procreato tunc si atri seniori ex antiqua consuetudine regni descendet hereditas & non Iuniori.

Item si terra descendat alicui ex parte patris & ille obijt sine hærede de corpore suo, tunc hæreditas illa descendet proximis hæredibus suis ex parte patris, et si hæredes non habuerit ex parte patris, tunc hæreditas illa ad dominum feodi illius vt escaeta sua reuertetur & ad hæredes ex parte matris sue minime descēdet. Sed si quis perquirat terras sibi & hæredibus suis & obijt sine hærede de corpore suo vt predicitur tunc terra illa descendet proximo hæredi ex parte patris sui si talem hæredem habuerit. ¶Et si nullum talem hæredē ex parte patris habuerit tunc ad proximum hæredem suum ex parte matris sue descendet.

Item ex consuetudine regni habetur quod filius natus ante matrimonium est bastardus licet per eundem virum fuerit genitus.

Item quod bona & catalla nec realia nec personalia nunquã transient ad heredem sed ad executores nisi in aliqua patria ex consuetudine speciali aliter habeatur.

Item quod vir habebit iure suo proprio omnia bona personalia quæ fuerint vxoris sue tempore matrimonij inter eos solempnizati vel post.

Item quod per vtlagariam bona vtlagati domino regi sunt confiscata.

Item lex & cõsuetudo habetur in Anglia quod vir habebit totam hereditatem vxoris sue pro termino vitæ eiusdem viri de qua vir seisitus fuit in feodo vel in feodo talliato in iure vxoris sue post sponsalia inter eos solempnizata vtenens per legem Angliæ si prolem per vxorem suam habuerit, alias nihil de hereditate illa gaudebit.

Item alia habetur consuetudo quod vxor habebit tertiam partem hereditatis viri sui de qua vir suus fuit seisitus in facto

facto vel lege post sponsalia inter eos celebrata siue prolem habuerit siue non pro termino vitę suæ nomine dotis. Sed in hoc casu oportet quod vxor tęporę mortis viri sui sit ad minus ętatis nouem annorum, quia aliâs dotem non habebit.

Item antiqua Lex & consuetudo habetur in Anglia, quod post mortem tenentis per seruitium militare dominus de quo tenens illę terram suam tenuit habebit custodiam & maritagium heredis suę & terrę suę quousq; hęres ille ad ętatem xxj. annorum peruenerit si masculus fuerit. Et si hęres ille in tali casu fuerit plenę ętatis xxj. annorum tempore mortis antecessoris sui, tunc soluet domino suo releuium quod per antiquam consuetudinem regni non fuerit certum. Sed per statutum Magnæ cartę assignatur in certo. s. ad C.s. pro integro feodo militis, & sic secundum porcionem. Et si hęres talis tenentis sit fœmina: si illa tempore mortis antecessoris sui sit ętatis xiiij. annorum & vltra, non erit in custodia, sed soluet releuium vt supra. Sed si fœmina illa tempore mortis antecessoris sui fuerit infra ętatem xiiij. annorum tunc per antiquam consue

Item ex consuetudine regni habetur quod filius natus ante matrimonium est bastardus licet per eundem virum fuerit genitus.

Item quod bona & catalla nec realia nec personalia nunquã transient ad heredem sed ad executores nisi in aliqua patria ex consuetudine speciali aliter habeatur.

Item quod vir habebit iure suo proprio omnia bona personalia quæ fuerint vxoris sue tempore matrimonij inter eos solempnizati vel post.

Item quod per vtlagariam bona vtlagati domino regi sunt confiscata.

Item lex & cõsuetudo habetur in Anglia quod vir habebit totam hereditatem vxoris sue pro termino vitæ eiusdem viri de qua vir seisitus fuit in feodo vel in feodo tallato in iure vxoris sue post sponsalia inter eos solempnizata vt tenens per legem Angliæ si prolem per vxorem suam habuerit, alias nihil de hereditate illa gaudebit.

Item alia habetur consuetudo quod vxor habebit tertiam partem hereditatis viri sui de qua vir suus fuit seisitus in facto

facto vel lege post sponsalia inter eos celebrata siue prolem habuerit siue non pro termino vitę suæ nomine dotis. Sed in hoc casu oportet quod vxor tęporę mortis viri sui sit ad minus ętatis nouem annorum, quia aliâs dotem non habebit.

Item antiqua Lex & consuetudo habetur in Anglia, quod post mortem tenentis per seruitium militare dominus de quo tenens illę terram suam tenuit habebit custodiam & maritagium hęredis suę & terrę suę quousq; hęres ille ad ętatem xxj. annorum peruenerit si masculus fuerit. Et si hęres ille in tali casu fuerit plenę ętatis xxj. annorum tempore mortis antecessoris sui, tunc soluet domino suo releuium quod per antiquam consuetudinem regni non fuerit certum. Sed per statutum Magnæ cartę assignatur in certo. s. ad C.s. pro integro feodo militis, & sic secundum porcionem. Et si hęres talis tenentis sit fœmina: si illa tempore mortis antecessoris sui sit ętatis xiiij. annorum & vltra, non erit in custodia, sed soluet releuium vt supra. Sed si fœmina illa tempore mortis antecessoris sui fuerit infra ętatem xiiij. annorum tunc per antiquam consue

consuetudinem regni erit in custodia solum vsq; xiiij. annos vt supra, sed per statutum Westm̃ primi erit in custodia in tali casu vsque ad xvj. annos.

Item de terra tenta in socagio ex antiqua consuetudine regni proximus amicus heredis cui hereditas illa descendere non poterit, habebit custodiam illius heredis & terrę suæ vsquè ad ętatem eiusdem heredis xiiij. annorum, & tunc heres ille intrare poterit. Et cum heres ille ad ętatem xxj. annorum peruenerit, custos reddet ei compotum de proficuis inde receptis pro toto tempore quo proficua inde recepit.

Item talis heres in socagio pro releuio suo redditũ suũ duplicabit in anno proximo sequente mortem antecessoris sui.

Item antiqua Lex & consuetudo habetur in Anglia, quod absq; liberatione seisinę nihil liberi tenementi alicuius terrę per modum feoffamenti transiet feoffato licet sit carta feoffamenti inde facta & deliberata.

Item quod voluntas facta de terra vnde testator tempore mortis suę seisitus fuerit, nullius effectus in lege existit, nisi sit consue-

consuetudo quod valeret, vt in ciuitate Londoń habetur.

Item status ad terminum vitę ex antiqua lege & consuetudine regni reputatur fore liberum tenementum, propter quod oportet haberi inde liberatio seisinę vt prędicitur. Sed dimissio ad terminum annorum non est liberum tenementum in Lege, sed catallum reale. Et ideo non est necesse vt fiat inde liberatio seisinę.

Item per antiquam consuetudinem Regni pro redditu seruitij, & pro redditu reseruato super dimissione facta ad terminum vitę vel annorum, siue ad voluntatem, quis potest distringere licet non exprimatur quod distringere potest. Et in tali casu potest distringere aueria tenentis statim postquam aueria illa super terram taliter tentam siue dimissam inueniri possint. Sed aueria alterius quam tenentis quę ibidem inuenientur distringere non potest quousq; aueria illa in terra prędicta leuantes & cubantes inuenientur. Sed pro debito super obligatione aut contractu, nec pro compoto, siue arreragijs compotus, nec pro similibus nullus distringere potest.

Item

Item per antiquam Legem & consuetudinem regni, omnes exitus que emergent in aliqua curia de recordo infra regnum, nisi pauci de quibus non est hic necesse tractandum, debet triari per xij. liberos & legales homines de visineto &c. qui nulli partium vlla affinitate attingent. Et in alijs curijs que non sunt de recordo, vt in comitat', hundred', curia baronis, & similibus, exitus triari debent per sacramentū partium & non aliter, nisi ex consensu partium. Ex prędictis patet, quod consuetudines prędictę, nec alię eis consimiles que multę sunt valde in Legibus Anglię non possum sola ratione probari. Nam quomodo potest ratione probari quod filius senior patri succedet prę iuniori. Et quod omnes filię simul terram diuident si nullus si filius: Quod vir totam terram vxoris suę habebit pro termino vitę vt tenens per Legem Angliæ. Et quod vxor solum tertiam partem habebit nomine dotis. Hęc & hijs similia sola ratione probari non possunt. s. vt ita fiet, & non aliter. Ideoq; statutum contra tales consuetudines factum, optimè valeret, & pro Lege obseruari deberet. Et certum

certum eſt quod non eſt nec vnquam fuit Lex rationis quod poteſt mutari.

Item Lex proprietatis non eſt Lex rationis, ſed Lex conſuetudinaria. Et inter conſuetudines generales regni numerari debet. Et ſciendum eſt quod non habetur aliquod ſtatutum, ſiue aliqua Lex ſcripta de inſtitutione conſuetudinum Legis Angliæ, ſed ſecundum peritos Legis Angliæ antiqua conſuetudo regni eſt earum ſola ſufficiensq; auctoritas. Quid ve inde tenent Doctores, ſcilicet vtrum ſola conſuetudo ſit alicuius legis ſufficiens auctoritas. DOCTOR. Doctores tenent quod Lex conſuetudinaria eſt Lex firmiſſima, hoc ſemper intellecto quod talis conſuetudo nec legi diuinę nec legi rationis in aliquo contradicit.

¶ *De quarto fundamento Legis Anglie.*

Cap. 8.

STVDENS. Quartum fundamentum Legis Angliæ ſtat in diuerſis principijs, quę a peritis Legis Angliæ Maxima vocantur, quę ſemper habita & tenta ſunt pro

pro Lege in hoc regno Angliæ, quibus non est licitum alicui legis perito contradicere, quia vnumquodq; maximorum illorum est sibi ipsi fides, in tanto quod cum negantibus ea non est vlterius arguendum. Et vtrum id quod pro maximo affirmatur sit maximum vel non, debet semper determinari per Iudices, vt de generalibus consuetudinibus regni superius dictum est, & non per patriam. Nec est necesse rationem aut considerationem ponere, quare pro maximis primo habita sunt: sed sufficit quod nec contra rationem, nec contra Legem diuinam in aliquo existant. Et non solum censentur illa maxima pro Lege, sed etiam alij casus consimiles, & omnia ex eis necessarie sequentia in simili lege sunt ponenda. Et ideo communiter ponuntur considerationes de illis maximis ad ostendendum quod talia maxima sunt rationabilia, & quod pro maximis sunt rationabiliter obseruanda, vt scilicet alij casus consimiles magis aptè eis confirmari & assimulari, & simili lege iudicari possunt. Et eiusdem efficatię, roboris, & virtutis sunt in lege sicut statuta. Et licet omnia illa Maxima

inter

inter prędictas consuetudines generales regni conuenientur enumerari possint, quia antiqua consuetudo est hijs & illis sola auctoritas: Tamen quia ille consuetudines generales quasi per totū Regnum Anglię diffusę sunt, & quasi inter omnes sunt notę vel leuiter inter omnes notę esse poterint, etiam absq; studio in Legibus Angliç inde habendo: Hęc vero Maxima solum in Curijs Regis, siue inter Legis Angliæ peritos noscuntur, nec leuiter absq; magno studio in legibus Angliç habendo cognosci possunt. Ideo pro seperabilibus fundamentis ponuntur. Si quis tamen pro vno solo fundamēto ea censeri iudicauerit ad placitum suum, ea pro vno tantum fundamento comportare potest, & tunc secundū illūquinq; fundamēta Legis Angliç tantū assignari debent. DOCTOR. Ex huis etiā Maximis aliqua audire cupio, STVDENS. Ad satisfaciendum voto tuo pauca inde dictam, sed ea ad plenum declarare nec sufficiūt volumina magna.

Primo quoddam Maximum habetur in Legibus Angliæ, quod Scutagium incertum facit seruitium Militare.

Item aliud Maximum habetur, quod scuta-

ſcutagium certum facit ſocagium.

Item aliud, quod diſcenſus tollat ingreſſum.

Item quod nulla preſcriptio in terris facit ius.

Item quod preſcriptio in redditu & proficuis capiendis extra terras alterius facit ius.

Item quod limitatio preſcriptionis generaliter ſumpta eſt a tempore cuius contrarij memoria hominum non exiſtit.

Item ſi tenens in breui de Scire facias placitat non tenuram generalem, petens poteſt petere executionem ſub periculo ſuo. Sed in alijs breuibus oportet petentem in tali caſu breue ſuum manutenere.

Item in breuibus realibus vbi dampna non ſunt recuperanda, tenens poteſt diſclamare, contra quam diſclamationem petens non poteſt breue ſuum manutenere, ſed breue caſſabitur: Et ſi veritas ſit quod eſt tenens, tunc petens poteſt licitè in terram illam intrare &c.

Item quod aſſignatus fieri poteſt de terris datis in feodum ad terminum vitę vel annorum, licet nulla mentio fiat de aſſignatis.

natis. Eadem Lex eſt de redditu concello &c. Sed aliter eſt de garrantia & de conuentione.

Item quod conditio ad euacuandum liberum tenementum ſiue ſcripto placitari non poteſt.

Item quod relaxatio ſiue confirmatio facta per eum qui tempore relaxationis vel confirmationis illius facte nullum ius inde habet, vacua eſt in lege licet ius ei poſtea aduenerit niſi ſit cum garrantia.

Item quod ius vel titulus actionis quod ſolum in actione dependit alteri vendi non poteſt niſi ſolum terram tenenti.

Item in actione debiti ſuper contractum defendens poteſt ſacramentum præſtare quod nihil debet licet ſint teſtes cõtractus. Aliter eſt ſuper breue de debito proſecuto ſuper dimiſſione terræ facta ad terminum annorum vel ad voluntatem.

Item quod ſi breue de exigendo in caſu felonie verſus aliquem dirigatur, bona ſua domino Regi ſint ſtatim confiſcata.

Item ſi filius in vita patris ſit attinctus licet poſtea cartam perdonationis a Rege

optineat, tamen ſanguis corruptus eſt & hæres patri ſuo eſſe non poterit, ita quod in tali caſu poſt mortem patris terra illa eſcaebit, nec fratri ſuo iuniori ſi fratrem habeat nullo modo deſcendere poteſt.

Item ſi Abbas vel Prior terram domus ſue alienauerit et obijt, ſucceſſor eius intrare non poterit, ſed actionem per breue ſine aſſenſu capituli oportet impetrare. Et eadem lex eſt ſi vir alienauerit terram vxoris ſue & obijt: vxor intrare non poterit, ſed breue qui dicitur Cui in vita impetrare oportet.

Item quod villanus ante ingreſſum factum p dominū ſuum licitè poteſt terras ſuas dare & vendere cuicunque voluerit, et venditio illa ſiue donum illud firma & ſtabilia in lege exiſtunt: Eadem quoque lex habetur de bonis & catallis: Sed ſi dominus eius ea prius ſeiſierit domino pertinent.

Item quod ſi quis felonus furatus fuerit bona ad valentiā xii. d. vel vltra morte punietur. Et ſi ſit infra valentiam xii. d'. vocatur parua latrocinia et non punietur morte ſed aliter ſecundum diſcretionem iuſticiariorum.

Item

Item in fauorem vite ille qui arraniatus eſt ſuper indictamento felonię poteſt calumpniare peremptorie xxxv. iuratores quod ſi vltra illum numerum aliquem calumpniauerit peremptorie ſeipſum condempnat quia legem recuſauit: ſed cum cauſa poteſt tot iuratores calumpniare quot cauſas poteſt probare.

Item quod terra cuiuſlibet in lege eſt ab alijs incluſa: niſi ex antiquo ſe includere teneatur.

Item redditus, communia paſture, reuercio nec ſimilia que non iacent in manuali occupatione non poſſunt alteri dari nec concedi ſine ſcripto.

Item quod ille qui recuperauit debita vel dampna in curia regis per talem actionem vbi breue de capias iacuit in originali infra annum poſt recuperare illud poteſt habere breue de capias ad ſatisfaciendum per quod defendens capietur & priſoni committetur, a qua non exiet donec debita & dampna plenè perſoluerit.

Item ſi relaxatio aut confirmatio fiat ei qui nullam poſſeſſionem habet in terris illis tempore illius relaxationis ſiue

confirmationis factè vacua eſt nul liuſque vigoris in lege.

Item pro maximo habetur in legibus Angliæ quod nullus poteſt dominum regem diſſeiſire, nec dominus rex aliquem diſſeiſire poterit, ita quod liberum tenementum per talem diſſeiſinam transferretur de Rege ad alium nec econtra.

Item nullum liberum tenementũ poteſt domino Regi dari nec ab eo transferri niſi per materiam de recordo: tanta eſt in lege regis excellentia.

Item ſciendum eſt quod cum in quibuſdam breu bus fit proceſſus per ſummonitionem attachiamentum & diſtringas infinite, et in quibuſdam per capias infinite, et in quibuſdam per vtlagariam. Et quod in breuibus realibus fiet proceſſus per ſummonitionem · Magnum cape et paruum cape. ſcilicet. per magnũ cape ante apparentiam, et per paruũ cape poſt apparentiam. Et in alijs proceſſibus in curijs Regis vſitatis nullum aliud fundamentum habetur niſi in paucis proceſſibus qui dantur per ſtatuta, niſi ſolum antiqua conſuetudo legis in curijs illis vſitatis. Quod vero fiet diuerſitas proceſſus

ſus expediens & rationabile, videtur propter diuerſitatem actionum. Sed quod eadem fiet diuerſitas proceſſus quæ in legibus Angliæ habetur & non alia, ratione probari non poteſt. Ideo quod talium proceſſum ac punitionum ac maximorum prædictorum & aliorum ſimilium authoritatem & robur ad antiquam regni conſuetudinem deduci neceſſe eſt.

Item quædam ſunt principia ſiue maxima in Legibus Angliæ quæ ſecundum quoſdam ex ratione ſecundaria fundantur ſed quia ab aliis dubitatur vtrum ex ratione aut ex conſuetudine ſit eorum fundamentum, ideo pauca eorum hic inferius impoſui. Et ſi alicui videatur quod ex ratione ſit eorum origo vel fundamẽtum, tunc inter primum fundamentum legis Angliæ ea et ſimilia apponat, aliter inter prædictas conſuetudines ſiue prædicta maxima legis ea computare debet.

De h js talis caſus habetur quod ſi abbas aut alius ſuperior alicuius domus religionis aliquid emerit pro certa pecuniæ ſumma ad vſum domus & obijt, ſucceſſor eius oneretur de ſumma illa licet nullum ſcriptum inde factum fuerit.

Item mandans aliquam transgressionem fieri, est transgressor.

Item ille qui habet possessionem terrarū licet iniuste, tamen ius habet versus omnes præter versus eum qui verum ius inde habet.

Item quod actio realis prosecuta versus aliquem qui nihil habet in re petita, cassanda est in lege.

Item alienatio tenentis nec ingressus in religionē pendente breui versus eum, nec si tenens fiat miles, aut si tenens sit mulier & virum ceperit pendente breui breue non cassabitur.

Item si terra aliqua & redditus aliquis exiens de eadem terra in vna manu deueniant de simili statu & simili securitate tituli redditus ille extinctus est.

Item si terra aliqua descenderit ei qui ius habet ad eandem terram in meliori iure suo si voluerit in lege iudicabitur.

Item si duo tituli concurrant, senior titulus est preferendus.

Item quod quilibet pro dampnis aueriorum suorum in pascendo & terram alterius conculcando respondere tenetur nisi sit inde iustificationis causa.

Item

Item ſi petens pendente breui ſuo intrat in rem petitam, breue caſſauit. Et notandum eſt quod licet valde difficile eſt in pluribus caſibus legis Angliæ diſcernere quæ lex ex ratione & quæ ex conſuetudine fundatur, tamen ſæpę multum neceſſarium eſt ad cognoſcendum Legis veritatem. DOCTOR. Sed qua authoritate elici poteſt qnæ ſunt conſuetudines generales regni & quæ non, aut quæ ſunt maxima in lege authoriſata & quæ non. Nam cum ex ratione non ſunt fundata vt tu ipſe ſuperius dixiſti, videtur quod eadem facilitate negari poſſint qua approbari, niſi ex aliquo ſtatuto aut alia authoritate in lege ſufficienti roborentur. STVDENS. Quantum ad plures conſuetudines Legis Angliæ cognoſci poteſt per vſum & conſuetudinem ita aperte & euidenter notos inter populum quod non eſt neceſſe inde aliquam legem ſcriptam inde haberi. Nam quid opus eſt legem habere ſcriptã quod filius ſenior patri ſucceder: aut quod filiæ ſimul ſuccedent patri ſi non ſit filius: vel quod vir habebit omnia bona & catalla quæ fuerint vxoris ſue tempore

matrimonij inter eos celebrati &c. aut quod bastardus non erit alicui hæres: Et quod executores habebunt dispositionem omnium bonorũ testatoris, et sic de alijs multis. Alia quoque maxima & consuetudines quæ non ita aperte cognita sunt inter populum cognosci possunt partim per legem rationis, partim per libros legis Angliæ qui vocantur anni terminorũ, et partim per recorda in Thesaurario regis, et in curijs regis remanentia ac per quẽdam librum qui vocatur regisstum et per diuersa statuta in quibus tales consuetudines, et talia maxima sepę recitantur vt diligenti indagatori euidenter apparere poteſt.

De quinto fundamento Legis Angliæ.

Cap. 9.

STVDENS. Quintum fundamentum Legis Angliæ stat in diuersis consuetudinibus particularibus in diuersis patrijs, villis, dominijs, et ciuitatibus Regni vsitatis, quæ quidem consuetudines particu-

particulares, quia non sunt contra rationem, neq; contra Legem diuinam, licet prędictis generalibus consuetudinibus siue maximis legis contrariantur, tamen vim Legis retinent. Sed si dubium insurgat inter partes in curia Regis, vtrum talis sit consuetudo particularis vel non, non debet semper determinari per Iudices vtrum sit talis consuetudo vel non, vt de prędictis consuetudinibus generalibus siue maximis superius dictis fieri debet, nisi in paucis consuetudinibus particularibus sufficienter ex recordo in curia Regis cognitis & approbatis, sed debet triari per patriam. Ex quibus consuetudinibus particularibus aliquas pro exemplo inferius imponam.

In primis in Kancia est quędam consuetudo quę vocatur Gauelkind, vbi omnes fratres simul hęreditabunt, sicut sorores ad communem Legem.

Item alia consuetudo particularis habetur, quę vocatur Borugh Englisch, vbi filius iunior solum patri succedet, vt est in villa Nottingham.

Et alia consuetudo habetur in ciuitate Londoń, vbi illi qui in Ciuitate illa sunt liberi

liberi possunt per testamenta sua terras suas etiam de quibus seisiti existunt, legare cuicunq; voluerint nisi ad manum mortuam. Et quod illi qui sunt Ciues & liberi ibidem etiam ad manum mortuam terras suas legare poterint.

Item in Gauelkind licet pater suspendatur, tamen filius patri in hereditate succedet.

Item in aliqua patria per consuetudinem specialem: mulier habebit medietatem hereditatis viri sui nomine dotis quamdiu sola vixerit.

Item in aliqua patria vir habebit medietatem hereditatis vxoris suę pro termino vitę suę licet etiam prolem per eam non habuerit.

Item in aliqua patria Infans cum sit etatis xv. annorum potest feoffamentum facere: Et in aliqua patria cum scit vlnam panni metire &c.

Item in aliquibus dominijs liberi tenentes possunt terras suas in curia domini sui surſum reddere per virgam, vel aliter, secundum vsum Curię illius. Et in tali casu per illam surſum redditionem liberum tenementum inde transibit ad illum

illum cui fit illa ſurſum reddicio, abſq; aliqua liberatione ſeiſinę inde fienda.

Item plures alię conſuetudines particulares in regno Anglię exiſtunt, de quibus non eſt ad preſens per ſingula dicendum; Quia hęc ſufficiunt ad oſtendendum quod Lex Anglię partim cepit fundamenta ſuper tales particulares conſuetudines. Et ſemper tales conſuetudines particulares ſtrictè capiuntur ſecundum litteram. Nam in Gauelkind vbi terra omnibus filijs ſimul deſcendet, garantia tamen inde facta deſcendet ſolum ſuper filium ſeniorem qui eſt hęres ad communem legem. Similiter vbi infans per conſuetudinem particularem feoffamentum de hęreditate ſua facere poteſt: Tamen ſi garantiam fecerit vacua in lege exiſtit. Similiter nec relaxationem poteſt in tali caſu facere: Et ſic de pluribus alijs conſuetudinibus particularibus habetur.

¶ *De ſexto fundamento Legis Angliæ.*

Cap. 10.

STVDENS. Sextum fundamentum Legis Angliæ ſtat in diuerſis Statutis per

dominum Regem & progenitores suos, & per dominos spirituales & temporales & per cõmunitatem totius regni in parliamentis editis, vbi Lex rationis, Lex diuina, Consuetudines, Maxima, siue alia fundamenta Legis Angliæ prius sufficere minimè videbantur. Et vltra hęc fundamenta Legis Angliæ alia me legisse non meminor. Et vlterius sciendum est, quod licet Lex rationis pro primo & principali fundamento Legis Angliæ rationabiliter assignari potest: Tamen non est illa Lex rationis tantę virtutis & efficatię in Legibus Angliæ, quod ea cognita tota Lex Anglię cognita sit. Nam vltra Legem rationis oportet eum qui Leges Anglię scire desiderat, etiã antiquas consuetudines regni tam generales quam speciales, ac etiam alia Maxima & Statuta Legis, de quibus superius partim tractatur cognoscere, vel aliter, licet sapientissimus virorum fuerit de veritate Legis Angliæ pauca intelliget. Nam vt superius dixisti cap. secundo, necesse est in qualibet Lege humana vltra Legem rationis multa alia pro conseruatione reipublicę superaddi iuxta mores patrię & populi, vbi talis Lex exerceri

exerceri debet. Quę quidem additio facta
eſt in hoc regno per diuerſa Maxima, conſuetudines, & Statuta neceſſaria pro bona
directione totius communitatis & ad
pacem Regis preſeruandam vt ſuperius
patet. Ex his quoq; quę ſuperius in hoc
libello continentur deduci poteſt, quod
ſepè in vno eodem caſu Legis Anglię duo
vel tria fundamenta Legis ſimul concurrere debent antequam quęrens ad ius ſuum recuperandum ſecundum legem attingere poterit, ſicut per exemplum apparere poteſt: vt ſi quis poſt ingreſſum per
ſe factum in aliquam terram cum manu
forti, fecerit feoffamentum pro manutenentia ad defraudandum poſſeſſorem de
actione ſua, tunc quęrens per ſtatutum de
Anno 8. Henrici 6. cap. 9. recuperabit
dampna ſua in triplum, ſecundum quæ
dampna per Iuratam aſſidentur. In quo
caſu patet quod talis ingreſſus prohibetur
ex lege rationis ſecundarię: Sed quod
quęrens dampna ſua recuperabit in triplum habetur ex prędicto ſtatuto. Et quod
dampna per Iuratam aſſidentur, habetur
ex regni conſuetudine. Et ſic tria in hoc
caſu concurrunt Legis fundamenta. Et

ſic

sic de aliis casibus infinitis in Legibus Angliæ simile deduci potest. DOCTOR. Gratias quamplurimas tibi reddo amice dilecte. Nam rem gratam valde mihi fecisti; Vnde ex dictis tuis capio, quod Lex Angliæ cepit fundamentum ex ratione primaria & secundaria, & etiam ex Lege diuina, & ex diuersis consuetudinibus generalibus & particularibus regni, & ex diuersis Maximis & statutis in Regno vsitatis, quę vt asseris rationabilia sunt, & nec contra rationem nec contra Legem diuinam existunt. Et vlterius videtur te affirmare quod licet multa quæ in Legibus Angliæ habentur ex summa ratione practica procedunt: tamen quod Lex Angliæ in omnibus, Lex rationis dici debet vt volunt aliqui dicere non prętendis. Ideoq; plures consuetudines tam generales quam speciales, & etiam diuersas Leges quas Maxima appellas superius recitasti, quę non ex summa ratione, sed ex regni consuetudine vigorem cepisse non dubium est. Nam vt superius dixisti per statuta in contrarium mutari possunt, & quod mutari potest nunquam Lex rationis primarię fuisse omnino affir-

mas,

mas. STVDENS. Optimè capis quæ dixi Doctor reuerende. DOCTOR. Nunc igitur quia ex hijs quæ superius dixisti, videtur quod periti Legis Angliæ pretendunt verificare quod Lex illa nihil vult contra rationem & contra Legem Dei. Ideo ad quasdam questiones ex Legibus Anglię fundatas quomodo cum ratione seu conscientia stare poterint, te respondere cupio vnde prima questio talis est. Ex Legibus Anglię habetur vt audiui, quod si quis obligatus in obligatione pecunias aliquas soluere, eas soluerit, sed acquietantiam capere negligit, vel captam perdit, quod tunc illa solutio secundū Leges Anglię nihil ei prodest, quia vt dicitur Lex Anglię vult vt non obstante solutione illa cōpelletur debitor pecunias illas iterum soluere: quomodo igitur potest dici q̄ Lex illa stat cū ratione seu conscięntia. Nam vt mihi videtur, sicut ex ratione secundaria habetur q̄ debita soluidebent, sic cū debita soluātur ex ratione et conscięntia habetur, qd' debitor exonerari debet, quid tibi inde videtur. S r. Quia non potest declarari quid sit cōtra conscięntiā, nisi prius cognoscatur quid sit conscięntia, ideo

quia

quia ad te pertinet Doctor reuerende de natura & qualitate conſcientię maximè tractare, ſupplico vt aliquam breuem declarationem mihi facias de nature & qualitate conſcientię, & tunc iuxta paruitatem meam queſtioni tuę libenter reſpondebo. DOCTOR. Vt melius intelligere poteris ea quę de conſcientia dicam primo oſtendam tibi quid ſit Sindereſis, deinde quid ſit Ratio, & tunc quid ſit Conſcientia, & quomodo hęc tria inter ſe differunt aliquid breuiter dicam.

¶ *Quid ſit Sindereſis.*

Cap. 11.

DOCTOR. Sindereſis eſt vis motiua ſeu potentia naturalis animę rationalis quę ſemper eſt nata ſtigi in ſuperioribus partibus animę mouens & ſtimulans ad bonum & abhorrens malum: Et ideo ſecundum ſindereſim non eſt peccare neq; errare, ſicut nec circa principium in ſpiculabilibus. Aliquando autem Sindereſis dicitur ſcintilla rationis, conuenienter quidem: quia ſicut ſcintilla eſt modicum quid exigne euolans, ita hęc virtus eſt

eſt quædam modica participatio intellectualitatis reſpectu eius que de intellectualitate in angelo eſt Hanc quoque sindereſim ideo poſuit deus in homine vt ſeruetur ordo et cõnexio rerum. Nam ſecundum Dionyſium. ca. 7. de diuinis nominibus diuina ſapientia coniungit principia ſecundorum vltimis primorum. Angelus autem eſt intellectualis nature non rationalis cum diſcurſu. Et iſti naturę homo per Sndereſim appropinquat et coniungitur. Quæ Sindereſis non poteſt totaliter extingui, nec etiam in damnatis. Sed tamen quantum ad actum poteſt ad tempus impedire ſiue propter tenebram obcęcationis ſiue propter laſciuiam dilectationis ſiue propter duritiem obſtinationis, propter tenebram obcęcationis impeditur Sindereſis ne malo remurmuret pro eo quod malum creditur eſſe bonum ſicut in hereticis qui morientes pro impietate erroris credunt ſe mori pro pietate fidei, propter laſciuiam delectacionis, quando ſcilicet, Sindereſis ita abſorbetur vt remorſus non habet locum quia carnales homines tanto impetu delectationis feruntur vt ratio non habet lo-

cum, propter duriciem obſtinationis impeditur etiam Sinderesis ne ad bonum ſtimulet ſicut in damnatis qui adeo ſunt in malo obſtinati vt nunquam poſſunt ad bonum inclinare: propterea quãtum ad illum actum quo Sinderesis ſtimulat ad bonum poteſt in illis dampnatis dici extincta: non tamen extincta ſimpliciter quia habent aliũ vſum, ſcilicet, remurmurationem contra malum pena quę maxime vigebit in dampnatis, vnde Sinderesis murmurabit in dampnatis contra culpam in relatione tantũ ad pœnam. Et ſic Sinderesis quantum ad aliquem actum impedire poteſt nunquam tamen extingui poteſt vniuerſaliter quantum ad omnem actum & quantum ad omne tempus. Sinderesis etiam eſt principium quo ad ſpeculatiua & quo ad operatiua. Exemplum de ſpeculatiuis: vt omne totum eſt maius ſua parte, quodlibet eſt vel non eſt. Exemplum de operatiuis vt nullum malum eſt faciendum: bonum eſt proſequendum & ſimilia. Et ideo Sinderesis dicitur a quibuſdã lex rationis, quia principia legis rationis miniſtrat quæ ei inſunt a natura. Sinderesis quoque a quibuſdam

buſdam ſic deſcribitur. Sindereſis eſt potentia nata aſſentire naturaliter principio practico euidenti ex terminis dictanti, id eſt, ſignificanti in vniuerſali aliquid operandum vel fugiendum. Et per hoc quod dicitur potentia excluditur actus & habitus exquiſitus, et dicitur nata aſſentire, quia non oportet quod actu aſſentiat, quia etiam potentia dicitur Sindereſis dum actu nullum principium apprehendit. Et dicitur naturaliter aſſentire, id eſt, ſtatim apprehenſis terminis aſſentire, quia non requirit probationem vel diſcurſum ad hoc quod aſſentiat ſed exconditione ſuæ naturę ſtatim apprehenſis terminis non poteſt non aſſentire. Dicitur etiam euidenti ex terminis, quia reſpectu principij euidentis per experientiam non dicitur Sindereſis eo quod tale principium apprehenſum poteſt ignorari, et addit etiam in vniuerſali ad excludendum conſcientiam quæ eſt iudicium concluſionis practice in particulari dictantis de qua inferius dicetur.

De Ratione.

Cap. 12.

DOCTOR. Quando primus homo creatus est percepit duplicem a Deo oculum. Exteriorem scilicet & Interiorem. Exteriorem carnis quo visibilia cerneret, Et interiorem rationis quo inuisibilia agnosceret atque diuina: per illum carnis vt visibiles posset hostes aspicere, cognoscere, & vitare, per illum rationis vt spirituales hostes contra animam decertantes superare valeret. Et inter omnia alia dona quibus Deus humanam speciem insigniuit potissimum tamen hoc dono rationis præ alijs animantibus eam sublimauit: per quam etiam Angelicam imitatur dignitatem a falso discernendo verum & a bono malum. Quamobrem valdè a sua degenerat origine quotiens veritatem discernere negligit atque malum bono preponit. Et insuper ratio secundum doctores est ipsa vis animę rationalis quæ consulit & discernit inter bonum et malum et melius comparando vnum ad alterum, quæ etiam virtutes eligit

eligit & deum diligit. Et dicitur non ſolum cognitiua ſed etiam motiua. Cum autem iudicat aliquid eſſe bonum vel malum & ibi ſiſtit, ſic dicitur cognitiua: Si vero vlterius procedat iudicando aliquid eſſe bonum vt fiat vel malum vt euitetur, ſic dicitur motiua. Si vero adhuc amplius procedat & non ſolum iudicat aliquid eſſe bonum vt fiat, ſed etiam id fieri appetit, ſic dicitur liberum arbitrium, nam liberum arbitrium apprehendit rationem & voluntatem. Et nota quod aliquando ratio accipitur communiter & aliquando proprie. Cum enim accipitur communiter: Sic comprehendit totam portionem animę diuiſam contra ſenſualitatem, in qua ſunt tres potentię, ſcilicet, mens, voluntas & intellectus. Cum enim accipitur proprie, ſic accipitur pro potentia diuiſa contra concupiſſibilem & iraſcibilem. Nam rationi ſpecialiter pertinet ne malum concupiſcentur refrenare, et iram temperare. Et notandum eſt quod ratio & intellectus non ſunt idem, quia ratio quãdoq; eſt recta quãdoq; non recta, ſed intellectus ſemper eſt rectus. Et ratio et intellectus non diſtringuntur

ſicut duo potentię, ſed ſicut diuerſi actus eiuſdem potentię, quia intelligere eſt intelligendam veritatem ſimpliciter apprehendere. Ratiocinari eſt procedere de vno intellecto ad aliud intellectum ad veritatem intelligibilē cognoſcendam. Inde etiam venit ratiotinatio, nā ratiotinatio eſt diſcurſus intellectus ab vno in aliud a principio ad concluſiones. Ratio autem recta, eſt illa quæ eſt conformis diuinæ voluntati, nam rectitudinis omnium cōtingentium prima regula eſt voluntas diuina. Ratio enim non recta quæ & culpabilis dicitur, eſt aut quia dictat falſa errore decepta vincibili, aut quia torpore vel ſuperbia allectus, non inquirit inquirenda. Ratio etiam diuiditur in duas partes, ſcilicet, in partem ſuperiorem & inferiorem. Superior enim pars rationis diuinis & æternis intendit. Innititurque & ratiocinatur per leges ſeu p rationes diuinas & æternas vt puta hoc faciendum eſt vel non faciendum, quia deus preçipit vel prohibet. Nec habet hæc pars ſuperior motum circa res tranſitorias & temporales niſi in quantum ad eas per modum conſilij rationes diuinas & æternas de-

deducit. Inferior enim pars rationis ad temporalia gubernanda deflectitur: Inniti turque & ratiocinatur per leges & rationes humanas vt puta hoc faciendum est vel non faciendum, quod honestum vel inhonestum est, vel quia rei publicę expedit vel non expedit, vnde cognitio qua cognosco Deum & cætera ad Deum pertinentia pertinet ad partem superiorem. Cognitio qua cognosco creaturam, pertinet ad partem inferiorem, vnde pars inferior est quæ obiectis creatis adheret secundum regulas morales tantum sine relatione ad diuinas. Dum etiam ratio versetur circa principia quæ apprehensis cognitisque terminis mox non cognosci non possunt nec potest ratio eis discentire. Sic dicitur Sinderesis vtrum sunt principia illa de speculabilibus siue de agibilibus, et vtrum ad partem superiorem rationis vel inferiorem pertinent, et ratio sic accepta semper virgo hoc est inuiolata perseuerat, vt capitulo præsedenti dictum est. Et licet iste due partes, scilicet, superior & inferior idem sunt in re & essentia, differunt tamen secundum rationem suarum

ficut duo potentię, ſed ſicut diuerſi actus eiuſdem potentię, quia intelligere eſt intelligendam veritatem ſimpliciter apprehendere. Ratiocinari eſt procedere de vno intellecto ad aliud intellectum ad veritatem intelligibilē cognoſcendam. Inde etiam venit ratiotinatio, nā ratiotinatio eſt diſcurſus intellectus ab vno in aliud a principio ad concluſiones. Ratio autem recta, eſt illa quæ eſt conformis diuinæ voluntati, nam rectitudinis omnium cōtingentium prima regula eſt voluntas diuina. Ratio enim non recta quæ & culpabilis dicitur, eſt aut quia dictat falſa errore decepta vincibili, aut quia torpore vel ſuperbia allectus, non inquirit inquirenda. Ratio etiam diuiditur in duas partes, ſcilicet, in partem ſuperiorem & inferiorem. Superior enim pars rationis diuinis & æternis intendit. Innititurque & ratiocinatur per leges ſeu p rationes diuinas & æternas vt puta hoc faciendum eſt vel non faciendum, quia deus precipit vel prohibet. Nec habet hæc pars ſuperior motum circa res tranſitorias & temporales niſi in quantum ad eas per modum conſilij rationes diuinas & æternas de-

deducit. Inferior enim pars rationis ad temporalia gubernanda deflectitur: Inniti turque & ratiocinatur per leges & rationes humanas vt puta hoc faciendum est vel non faciendum, quod honestum vel inhonestum est, vel quia rei publicę expedit vel non expedit, vnde cognitio qua cognosco Deum & cætera ad Deum pertinentia pertinet ad partem superiorem. Cognitio qua cognosco creaturam, pertinet ad partem inferiorem, vnde pars inferior est quæ obiectis creatis adheret secundum regulas morales tantum sine relatione ad diuinas. Dum etiam ratio versetur circa principia quæ apprehensis cognitisque terminis mox non cognosci non possunt nec potest ratio eis discentire. Sic dicitur Sindcresis vtrum sunt principia illa de speculabilibus siue de agibilibus, et vtrum ad partem superiorem rationis vel inferiorem pertinent, et ratio sic accepta semper virgo hoc est inuiolata perseuerat, vt capitulo præsedenti dictum est. Et licet iste due partes, scilicet, superior & inferior idem sunt in re & essentia, differunt tamen secundum rationem suarum

operationum ſeu officiorum. Exemplum de oculo nunc ſurſum nunc deorſum aſpiciente.

De Conſcientia.

Cap. 13.

DOCTOR. Hoc nomen Conſcientia componitur ab hac prepoſitione cum, et ab hoc nomine ſcientia, vnde Conſcientia idem eſt quod cum alio ſcientia, et ſic duo dicit, ſcilicet ſcientiam per ſe & ſcientiam cum alio. Primo dicit & importat Conſcientia ſcientiam per ſe & ſecundum hoc conſcientia dicitur quidam actus naturalis non ſolum cognitiuus ſed etiam motiuus. Inclinat etiam animam ad bonũ proſequendum & malum fugiendum, et hoc modo habet ſe ſicut ſuperius in ratione coniungiturq; ipſi ſuperiori lumini rationis quod Sinderesis dicitur, ita quod propter hoc aliqui vt Ieronimus & alij ipſam Sinderesim conſcientiam dicere voluerunt, et tunc Conſcientia de ſe ſemper eſt recta, nam tũc circa vni-

vniuerſalia agibilium ſicut ipſa ſynderesis verſatur. Secundo vero dicit & importat conſcientia, & magis proprie ſcientiam cum alio. s. cum aliquo actu particulari, & tunc importat quandam acceptionem ſiue acceptationem ex parte rationis qua aliquid particulare acceptat vel reprobat, & ſic conſcientia proprie loquendo nihil aliud eſt quam applicatio quędam ſeu ordinatio ſcientię ad aliquem actum particularem, & tunc eſt magis actus quam habitus ſeu potentia. Et iſto modo conſcięt̃ia habet ſe vt inferius magiſque coniungitur rationi ſimplici ſiue interiori, & tunc dicitur quoddam dictamen rationis. Et conſcientia hoc modo accepta non eſt ſemper de ſe recta, immo frequenter errorem recipit: nam habet circa particularia verſari per modum cuiuſdam cognitionis ſeu inquiſitionis, in quibus ſępe errare contingit. Quę omnia clarius per exemplum nonnullorum Doctorum concipi poſſunt. Formant enim Doctores quendam quaſi conſcientię ſilogiſmum, cuius ſynderesis proponit maiorem ſic: Nullum malum eſt faciendum, cui maiori conſcientia ſe iuxta primam ſuę deſcriptionem de

de qua ſuperius habetur ipſi ſindereſi ſine quacunq; difficultate aſſentit. Nec tunc errat quia circa huiuſmodi maiorem non eſt errare. Sed formet quandoq; ratio inferior ſub iſto maiore vnum minorem ad aliquem caſum ſiue factū particulare deſcendendo ſic: hoc eſt malum cui minori ſi conſcientia iuxta ſecundam ſuę deſcriptionem de qua ſuperius etiam habetur ipſi rationi coniungens aſſentiat poteſt errare & non poteſt errare. Infert demum conſcientia ex iſtis duabus concluſionem ſic: ergo hoc non eſt faciendum, quę concluſio ſimiliter erit falſa vel vera, prout ſcilicet ipſa ratio & ipſa conſcientia ſe illi coniungens in illo minore errauerit vel non errauerit. De prima conſcientia quę ipſi ſindereſi coniungitur vt prędicitur non eſt multum ad preſens inſiſtendum: Nam vt ſuperius dictum eſt habet verſari circa vniuerſalia agibilium quę ſemper eſt recta nec errare poteſt. Sed de conſcientia quę ipſi rationi coniungitur, habetq; verſari circa particularia quę etiam errare poteſt & non errare maior reſtat difficultas: Ideo ſcias quod plures a Doctoribus

bus aſſignantur talis conſcientię deſcriptiones vnà a *Iohanne Damaſceno*, 2. quod conſcientia eſt Lex intellectus noſtri: alia quod conſcientia eſt habitus mentis boni & mali diſcretiuus: alia quod conſcientia eſt aſſenſus vel credulitas intentionis ad aliquid faciendum vel non faciendum animi deliberatione firmata: alia quod conſcientia eſt iudicium rationis practicę in particulari dictantis quę omnia bene reſoluendo in idem concidunt, & idem in effectu ſignificant, ſcilicet quod conſcientia eſt quædam actualis applicatio alicuius cognitionis ſeu ſcientiæ ad ea quę aguntur: Ex quibus deduci poteſt quod ex perfectiſſima notitia alicuius Legis vel ſcientię, & ex perfectiſſima & rectiſſima applicatione eiuſdem Legis vel ſcientiæ ad aliquem actum particularem ſequitur perfectiſſima, puriſſima, & optima conſcientia: Et ſi ſit defectus in cognitione veritatis talis Legis ſiue in applicatione eiuſdem ad aliquem actum ſequitur inde error conſcientię ſiue defectus in conſcientia: exempli gratia; Sinderesis tradit vniuerſale principium circa quod

BON

non contingit errare. 3. quod illicitum non est faciendum, tunc assumi potest quod iuramentum est illicitum, ex eo quod dicitur Mathei 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*, si quis tamen ex verbis dicti Euangelij vult tenere quod iuramentum est in nullo casu licitum, errat in conscientia, quia non habet plenam notitiam siue scientiam veritatis dicti Euangelij, nec confert illud dictum scripturę ad alia in quibus conceditur iuramentum esse licitum. Causa autem quare conscientia sic potest errare in assumptione prędicta & in similibus est ista, quia conscientia formatur ex assumptione alicuius particularis propositionis siue questionis sub vniuersalibus regulis operandorum. Et quia propositio particularis non est per se nota vt sunt vniuersalia principia agendorum, sed innotescat per fidem vel inquisitionem rationis. Ideo circa eam & circa conscientiam ex eius assumptione formatam contingit error, vel quia fidei non assentitur, vel quia ratio conferens vel inquerens decipitur: quandoq; ex passione abducente iudicium rationis: quandoq; ex ignorantia: quandoq; etiam ex habitu

habitu malo & erroneo. Sed notandum quod per hoc quod dicitur ſupra. s. quod ſi defectus ſit in cognitione alicuius ſcientię, vel in applicatione eiuſdem ad aliquem actum quod inde ſequitur error in conſcientia, non eſt ſic intelligendum quod talis error ſemper inducit peccatum, quia poteſt excuſari per ignorantiam. Sed licet aliquando excuſari poteſt per ignorantiam: tamen dicitur error in conſcientia in comparatione illius conſcientię quę ex vera & perfecta notitia illius ſcientię generaretur. Conſcientia etiam reſpicit ad omne tempus. s. ad tempus pręteritum, ad tempus preſens, & ad tempus futurum: et teſtimonium reddit de omni opere pręterito, preſenti, & futuro, vtrum benè vel malè factum fuerit, ſiue benè vel malè poteſt fieri. Item ſeptem modis cauſatur error conſcientię; Primo modo ex ignorantia quando ſcilicet quis neſcit quid ſit agendum vel declinandum: Vnde ſcias quod ſi dubium aliquod exſurgat ex aliqua lege poſitiua, tunc inquirenda eſt veritas a peritis illius Legis, ſecundum quam formanda eſt conſcientia, ſicut cum Theologis

legis conſulendum eſſet in hijs quę ſunt ad fidem. Et ſi in tali caſu legis periti aliquem informauerint aliter quam ſecundum legis veritatem habetur, tamen ſi ſecundum eorum conſilia conſcientiam ſanam ſeruabit dummodo nihil cõtra rationem vel Legem Dei conſulerent, quia Deus neminem ligat ad impoſſibile. Et ſi in aliquo caſu omnino deficit conſilium humanum, tunc Deo oportet ſe committere ſicut ſcribitur Paralipomenon xx. Cum ignoremus quid facere debeamus, hoc ſolum reſiduum habemus vt oculi noſtri ad te dirigantur. Secundo modo cauſatur error conſcientię ex negligentia, vt cum quis negligit conſcientiam ſuam diſcutere, vel ſi poſt diſcuſſionem ſe expedire neſciat, negligit tamen ab alijs quęrere. Tertio ex ſuperbia, vt quando quis non humiliat intellectum ſuum, vt melioribus ſiue ſapientioribus ſe velit credere. Contra quos ſcribit Apoſtolus ad Corintheos 10. dicens; Captiuantes omnem intellectum veſtrum in obſequium Chriſti: hoc eſt dicendum quod quilibet in credendis plus debet conſcentire fidei quam ſibi, & in agendis plus debet alijs

aliis credere quam ſibi. Quarto ex ſingularitate. s. quando homo ſequens ſenſum proprium non confirmat ſe alijs, nec ſequitur vias communes bonorum. Contrà quod libro Numerorum ſcribitur, extrema caſtrorum conſumpſit ignis. Quinto ex affectu inordinato qui ſepè inclinat conſcientiam ad id quod homo tunc appetit: & ſic facit eam a ſua rectitudine deuiare iuxta dictum *Seneca*; Perit omne iudicium cum res tranſit in affectum. Sexto ex puſillanimitate qua quis frequenter timet ea quę ſecundum rectum iuditium rationis timenda non ſunt: quibus dicit *Eſa*; *Diſcite puſillanimes confortamini nolite timere*. Septimo ex perplexitate, ſcilicet quando homo ſe inter duo peccata poſitum eſſe credit quorum alterum vt ſibi videtur ſit impoſſibile declinare. Sed ſciendum eſt quod perplexitas nihil eſt ſimpliciter: poteſt tamen quis eſſe perplexus ſecundum quid, ſcilicet ſecundum erroneam conſcientiam, qua diſpoſita erit liberatus. Habeas igitur ô bone Studens conſcientiam bonam, & ſemper habebis lęticiam ſuauiter vero requieſces,

ſi cor

ſi cor tuum te non reprehenderit, Iuſtorum quoq; lętitia de Deo & in Deo eſt, & gaudium eorum in veritate. Multę enim ſunt conſcientię hominum vt ſcribit *Barnardus*, ſed nulla eſt melior illa qua homo veracitèr cognoſcit ſeipſum, ſi plura ſcis, ſcias pro certo, quia multo plura ſunt quę neſcis: multi enim multa ſciunt & ſe ipſos neſciunt: Sed qui ſeipſum neſcit nihil bene nouit, quàm alia ſcire & ſe neſcire, quid aliud eſt quam ſeipſum grauius condempnare: nam ſeruus ſciens voluntatem domini & non faciens, plagis vapulabit multis: Luce 12. bona igitur quippe & munda conſcientia eſt vbi puritas in corde, veritas in ore, & iuſtitia in opere. Et quemadmodum lumen lucernę ponitur in domo vt videantur quę in domo ſunt: ſic Deus poſuit conſcientiam in medio animę rationalis tanquam lumen quo diſcernet quid facere vel non facere debeat. Conſulo igitur amice dilecte vt quia circa ea quę ad Legem pertinent oportet te verſari, quod ſemper puram & immaculatam teneas conſcientiam ſpecialiter, in hijs quę ad reſtitutionem pertinent: quia non dimittitur peccatum niſi reſtitua-

reſtituatur ablatum. Conſulo etiam quod bonum diligas & malum fugias, et quod hoc facias alteri quod tibi rationabiliter & ex debito vis fieri, & quod non facias alteri quod tibi rationabiliter non vis fieri, & quod nil facias contra veritatem, quod pacifice cum alijs viuas, et quod iuſticiam cuilibet quantum ad te pertinet facias, et etiam quod in omni regula generali legis æquitatem ſemper teneas, quæ omnia ex lege rationis habentur. Et ſpero quod lumen lucernę tuę non extinguetur in æternum. STVDENS. Sed quid ſit illa æquitas quam ſuperius memoraſti et quid velles me tenere ediſcere queſo. DOCTOR. Pauca inde dicere libenter aggrediar.

Quid ſit æquitas.
Cap. 14.

DOCTOR. Equitas eſt iuſtitia penſatis omnibus circumſtantijs particularibus dulcedine miſericordię temperata, quæ in omni lege & in omni regula generali legis ſeruari debet, hoc bene intellexit ille qui dixit: *Ipſæ etinim leges cupiunt vt iure regantur.* Et ſapiens dicit noli

esse nimis iustus alioquin summa iustitia summa iniustitia sit. Insuper pro planiori declaratione quid sit æquitas. Sciendum est quod cum actus humani de quibus leges dantur in singulis contingentibus consistunt quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile aliquam regulam generalem legis instituí quę in nullo casu deficeret. Ideoq; legis latores attendunt ad id quod in pluribus accidit & non ad casus particulares immo nec possunt, propter quod legis sententiam in aliquibus casibus seruare est et contra æqualitatem iustitiæ, & contra bonum commune. Ita quod in aliquibus casibus bonum est immo & necessarium (prætermissis verbis legis) sequi id quod petit iustitiæ ratio, et ad hoc ordinatur æquitas quę etiam dicitur Epicaya, scilicet, temperare legis rigorem. Quæ æquitas nihil aliud est quam exceptio legis diuinæ siue legis rationis a regulis generalibus legis humanę cum per earum generalitatem in aliquo particulari contra legem diuinam vel legem rationis iudicarent: quæ exceptio tacitè subintelligitur in omni regula generali cuiuscunque legis positiuę.

Vnde

Vnde patet quod æquitas non aufert iustum simpliciter, sed iustum quod est ex lege determinatum. Neque opponitur seueritati quia lex talis in se bona est generaliter assumpta, sed æquitas sequitur legem in quibus oportet. Quæcunque igitur lex fieret ab hominibus absq; omni exceptione tali expressa vel implicita irrationabilitatem manifestam & non tollerendam contineret: quoniam euenire poterint casus qui legem dei & legem rationis in suorũ obseruatione violarent, vt si quis vouerit se nunquam lactucinia cõmedere, et postea necessitate deductus alia alimenta inuenire non potest, oportet eum in tali casu votũ infringere. Nam casus ille voto suo generali per æquitatem siue per Epykayam tacitè excipitur vt prædictum est.

Item si in aliqua ciuitate esset Lex statuta quod nullus subpœna mortis ante talem horam portas ciuitatis apperiret: si tamen ante horam Statutam ciues hostes fugientes ad portas ciuitatis occurrerent & quis pro saluatione ciuium portas apperiret, legem non violaret. Nam

casus ille similiter a lege illa generali per equitatem excipitur vt prędicitur, vnde patet quod equitas magis attendit legis intentionem quam verba legis. Et quia iam desiderio tuo acquieui: quæstioni meæ respondere quæso ne differas.

Responsio ad primam quæstionem Doctoris.

Cap. 15.

STVDENS. Ad respondendum quæstioni tuę Doctor reuerende libenter aggrediar. Nam viam plenam & rectam ad hoc mihi ostendisti, immo vt videtur tu ipse plenam declarationem inde fecisti ita vt solum mihi restat ostendere quomodo quæstio tua secundum veritatem legis Angliæ intelligi debet. Primo igitur sciendum est quod in legibus Angliæ non habetur aliqua lex quod si quis obligatus in obligatione ad aliquam pecuniam soluendam pecuniam illam sine acquietantia soluit: vel si acquietantiam perdat, quod igitur secundum legem Anglię pecuniã illam iure resoluere teneatur:

tur: Nam talis lex esset contra rationem et contra conscientiam vt superius dixisti, Sed verum est quod in legibus Angliæ habetur quoddam maximum generale: quod in actione debiti prosequuta super obligatione: defendens non placitabit quod nihil debet, nec quod pecuniam soluit, nec se exonerabit nisi acquietantiam aut aliquod scriptum in lege sufficiens habeat aut aliud simile testificans inde solutionē: quid sit ad euitādum magnum inconueniens quod aliter multis eueniret, vt scilicet quilibet per nuda verba euacuaret obligationem: ita quod obligatio non esset maioris roboris siue virtutis in lege, quam simplex contractus, quod multis esset notabile dampnum. Propter quod ordinauit Lex quod sicut defendens per scriptum sufficiens oneratur, sic per scriptū sufficiens aut per aliud equiualens exonerari debet. Et licet ex hoc sequi potest in aliquo casu particulari quod quis occasione illius legis pecunias illas resoluere tenebitur secundum legem, tamen hoc legi non est imputandum, quia vt in capitulo precedenti dixisti legis latores attendunt ad id quod

in pluribus accidit & non ad casus particulares immo nec possunt, sic etiam regulæ generales legis Angliæ attendunt quid pluribus pro sunt: Et quia dampnum pluribus esset si obligatio taliter per nuda verba euacuaretur, ideo Lex Anglię id specialiter prȩcauet, et tamen nulli singulari personę dampnum intendit: quia nec intendit nec precepit lex generalis illa quę in tali casu pecunia illa de iure resolui debet, sed ponit regulã generalem bonam & necessariam omni populo quã quilibet seruare poterit nisi sit ex incuria siue ex defectu suo proprio. Et si aliquis talis defectus in aliquo cuenire contigerit tunc subuenire debet per talem æquitatem de qua superi' tractasti. Multȩ etenim aliȩ tales æquitates quasi infinite ex alijs regulis generalibus legis Angliæ inueniuntur quę non obstantibus illis regulis generalibus secundum æquitatem iudicari debent. DOCTOR. Sed sub qua forma potest quis subueniri per talem æquitatem vtrum in eadẽ curia an in alio vel quo modo supplico dicas. STVDENS. In eadem curia nunquã subuenire potest quis per talem æquitatem nisi eadem æquitas etiam roboretur per aliquod

quod ſubmaximum legis. Sed in quibuſdam caſibus ſubuenire poteſt quis per talem æquitatem in Cancellaria Regis per breue de ſubpœna, ſed vbi breue de ſubpœna iacet & vbi non iacet, non eſt præſentis operis declarare. Et in quibuſdam caſibus nullum eſt per talem æquitatem remedium per modum compulſionis, ſed remedium inde omnio committi debet ad partis conſcientiã. DOCTOR. Sed in caſu vbi breue de ſubpœna iacet, cui dirigetur? an iudici an parti quærenti. STVDENS. Non iudici ſed parti quærenti vel eius attornato ſibi iniungens ſub certa pœna in eodẽ breui contenta quod non procedat vlteri' ad communẽ legem donec determinetur in Cancellaria regis vtrum ius habet in cõſcientia recuperare vel non. Et quando quęrens ratione illius breuis ceſſat vlteriorẽ proceſſum inde petere, volunt & iudices ſimiliter ceſſare vlteriorẽ proceſſum inde facere. DOC. Sed nunquid habetur aliqua mentio in legib' Angliæ de tali æquitate. STVDENS. De illo termino æquitas quantum ad hanc intentionem de qua hic tractatur nulla habentur ſpecialis mentio in legibus Angliæ, ſed de quadam æquitate ex Sta-

tutis diriuata ſæpę habetur mentio in legibus Angliæ, quæ tamen alia eſt ab iſta æquitate. Sed de effectu illius æquitatis de qua hic tractatur pluriès habetur mentio in legibus Angliæ. Nam ſæpe arguitur in legibus Angliæ vbi breue de ſubpœna iacet & vbi non. Quotidie etiam fiant billę per peritos legis pro breuibus de ſubpœna in tali caſu optinendis, nec in legibus Angliæ prohibetur quin hoc poſſunt licite facere dummodo in ſuis caſibus & ſecundum veritatem facti: et non pro ſola vexatione defendentis tales billas faciant. Vult etiam ipſa lex Angliæ vt in pluribus caſibus conſcientię lege permiſſis, fiat remedium in Cancellaria per talem æquitatem. Debet etiam dominus Cancellarius in tali caſu conſcientiam ſuam formare ſecundum regulas et fundamenta legis Angliæ. Ita quod tale remedium in Cancellaria habendum non incongruè pro ſeptimo fundamento legis Angliæ aſſignari potuit: Sed quia nullum recordum de tali æquitate ſiue de breui de ſub pena inde proſecuto habetur in curijs regis, Ideo pro aliquo ſpeciali fundamento Legis Angliæ minimè aſſignatur.

¶ *Secun-*

¶ *Secunda quæstio Doctorin.*

Cap. 16.

DOCTOR. Ex hijs quę dixisti capitulo precedenti patet, quod in quibusdam casibus pars grauata subueniri debet in Cancellaria Regis per conscientiam siue per equitatem. STVDENS. Immo. DOCTOR. Quid tunc si per aliquod statutum esset ordinatum, quod nec pro tali equitate, nec pro aliqua alia materia in conscientia quacunq; nullum esse remedium in Cancellaria nec alibi, sed solummodo quod Lex Anglię in singulis iudicaret, & quod vltra illam ad aliud remedium non esset recurrendum, nunquid tale statutum non esset contra conscientiam. STVDENS. Immo multum nimis, sed vt estimo nullum tale habetur statutum. DOCTOR. Statutum de simili effectu habetur vt sepè audiui, de quo vellem tuam audire oppinionem. STVDENS. Statutum illud produc in palam, & quid mihi videtur libenter dicam. DOCTOR. Quoddam statutum habetur anno quarto Regis Henrici quarti cap. 22, Quod iuditia reddita in curijs Regis

Regis non examinarentur in Cancellaria, Parliamento, nec alibi: ex quo statuto patet quod si iudicium aliquod reddatur in curijs Regis contra talem equitatem, siue contra aliquam materiam in conscientia quacunq;, quod tamen nullum remedium inde haberi potest: Nam tale iudicium sine examinatione reformari non potest, & per statutum illud examinatio inde prohibetur. Ideo vt videtur prędictum statutum est contra conscientiam, quid tibi videtur? STVDENS. Si iuditia in curijs Regis reddita examinarentur in cancellaria, vel coram Consilio Regis, vel alibi, querentes siue petentes raro ad effectum sectę peruenirent, sed nimis fatigati ac sepè iniuriati & depaupertati vlterius prosequi omnino desisterent. Nec etiam Lex Anglię finem haberet. Et ideo ad euitandum tale inconueniens habetur quoddam maximum ex antiqua consuetudine quod iudicia in curijs domini Regis reddita non adnihillentur sine errore, attincta, vel breui de certificatione Nouę disseisinę, quod quidam maximũ recitatur in statuto Westmonast. ij. cap. 5. quod incipit; Cum de aduo-

aduocationibus Ecclesiarum. Posteaq; quia multa contra Maximum prędictum sępè attemptata fuerint, ideo in affirmationem & roborationem illius Maximi factum fuit illud statutum quod superius recitasti. Et licet fortè per prædictum maximum & statutum aliquis singularis persona dampnum aliquod incurrere potest: Tamen prędictum Maximum & statutum valdè necessaria sunt ad euitandum multa dampna & expensas iniustas quæ aliter euenire poterint omnibus quęrentibus & petentibus qui etiam iustè recuperauerint, & multum pręcauetur in Legibus Anglię. s. ne dampnum pluribus eueniret. Et sic ex prædicto statuto patet quod statutū illud ęquitatem non prohibet, sed tantum examinationem talis iudicij ad euitandū magnum inconueniens quod inde aliter eueniri poterit fieri non permittit: Ideoq; videtur quod statutum illud non est contra conscięntiam. Insuper non est necesse quod de qualibus materia quę tractatur contra conscientiā fieret remediū in foro contētioso p modū cōpulsionis vel cohertionis, nam sępè ad euitādum maius inconueniens remedium inde solum

ſolum committi oportet ad voluntatem & conſcientiam partis, ſicut in pluribus caſibus conſimilibus in Legibus Angliæ videri poteſt. DOCTOR. Aliquos caſus inde pro exemplo oſtendas. STVDENS. Si defendens in breui de debito præſtat ſacramentum quod nihil debet, vnde quærens ab actione ſua excluditur, licet defendens in tali caſu falſum fecerit ſacramentum, non eſt per compulſionem aliquod inde remedium. Tenetur tamen defendens in illo caſu in conſcientia pecuniam illam ſoluere. Item ſi Iuratores alicuius attinctæ primam iuratam in qua falſum factum fuerit ſacramentum affirmant, nullum tamen inde remedium ſecundum antiqua Maxima Legis haberi poteſt. Nec etiam breue de Sub pœna in tali caſu iacet, ſed ſolum pro remedio habetur, quod ille qui recuperauerit tenetur in conſcientia illud quod recuperauerit reſtituere, & tamen ad hoc compelli non poteſt. Item vbi non poteſt haberi ſufficiens probatio, nullum poteſt haberi remedium per breue de Sub pœna: nam per modum cohertionis idem eſt iudicium de hijs quę non ſunt, & de hijs quę non apparent.

parent. Et ſicut in caſibus prædictis & in multis aljs remitti debet remedium in conſcientia ad ſolam voluntatem alterius, ſic ſi iuditia in curia Regis reddita reddantur contra æquitatem, ſiue contra conſcientiam, vnde nec haberi poteſt remedium per errorem, attinctam, vel certificationem, tunc remitti debet ad ſolam voluntatem illius qui recuperauerit, vtrum ſe vult reformare ſecundum conſcientiam vel non, quod omnino oportet facere in foro conſcientiæ, ſi conſcientiam ſanam & incolumen conſeruare voluerit, licet ad hoc compelli non poteſt. Et quia occaſionem dediſti de Conſcientia aliquid tractare, oppinionem tuam audire cupio quando formanda eſt conſcientia ſecundum Legem, & quando dimittenda eſt Lex propter conſcientiam. DOCTOR. De illa materia ſimiliter oppinionem tuam audire cupio maximè ſecundum caſus & fundamenta Legis Angliæ: quia prius non multa inde audiui. Sed antequã aliquos caſus inde oſtendas, vellem te aliquid breuiter dicere quomodo hęc duę queſtiones ſecundum oppinionem tuam ſunt intelligendę.

Quomodo

Cap. 17.

¶ *Quomodo hæc quæstio est intelligenda, scilicet vbi Conscientia formanda est secundum Legem.*

Cap. 17.

STVDENS. Lex de qua habetur in hac quæstione, scilicet vbi Conscientia formanda est secundum Legem vt mihi videtur, non est solum intelligenda de Lege rationis, & de Lege diuina, sed etiam de Lege humana non contraria Legi rationis, nec Legi diuinę, sed superaddita est eis pro republica melius gubernanda: Nam talis Lex humana semper ponenda est sicut regula in conscientia. Nec licitum est ab ea declinare à dextris nec à sinistris. Nam talis Lex humana non solum vim Legis humanę, sed etiam vim Legis rationis, vel Legis diuinę, ex quibus diriuatur in se gerit & continet, quia Leges ab homine condite quia ad hoc à domino recepit potestatem à Deo constituuntur: Et ideo secundū talem Legem humanam, dum in suo robore stat & virtute omnino formanda est conscientia, sicut de Lege rationis, & de Lege diuina in suis casibus for-

formanda eſt. Sed ſi talis Lex humana ex ſufficienti auctoritate, licet non ex ſufficienti cauſa mutatur, mutatur & conſcientia ex illa prius fundata. Inſuper Lex illa de qua habetur mentio in capitulo precedenti, ſcilicet vbi dimittenda eſt Lex propter conſcientiam, non eſt intelligenda de Lege rationis nec de Lege diuina: quia hęc duę Leges declinari non poſſunt. Sed nec eſt intelligenda de Lege humana in particularibus dictanti Legi rationis & Legi diuinę conſona, & quod tamen ab ea declinandum eſt propter conſcientiam: Nam ex tali Lege humana formari debet conſcientia vt ſupra dicitur. Nec etiam intelligenda eſt de Lege humana aliquid precipiente vel prohibente quod eſt contra conſcientiam: Nam ſi aliqua Lex humana aliquem obligat per modum precepti vel prohibitionis ad aliquid quod eſt contra conſcientiam non eſt Lex, ſed corruptela, & ſi non ligat non eſt Lex: Nam Lex eſt ars honeſtæ viuendi, ligans hominem ad ſuæ obſeruantiam: Nam aliter non eſſet Lex niſi ligaret. Intelligitur ergo ſecundum peritos Legis Angliæ quod Lex declinanda eſt propter conſci-

conſciẽtiam diuerſis modis & ſecundum diuerſas regulas, prout inferius dicetur.

Primo credunt plurimi imperiti errore decepti, quod licitum eſt eis facere ſana conſcientia omne id quod ſi fecerint non erunt puniendi ſecundum Legem: cum tamen hoc Lex fieri minimè præcipit, ſed ſolum ſi fiat propter aliquam conſiderationem rationabilem non punit facientem, ſed conſcientię illorum illud committit. Ideoq; faciunt ſæpè quod facere non deberent, & retinent vt proprium, quod ſecundum conſcientiam reſtituere tenentur, vnde habentur plures caſus in Legibus Angliæ, ex quibus aliqui pro exemplo inferius inſeruntur, vnde primus talis eſt.

Si duo teneant aliquem boſcum coniunctim, & vnus eorum totum boſcum ſuccidit, & omnia proficua inde conuertit ad opus ſuum proprium: In iſto caſu ſocius ſuus nullum inde habebit remedium verſus eum ad communem Legem, & tamen tenetur in conſcientia ſocio ſuo reſtituere medietatem proficuorum illorum. Nam ſicut Lex dat ei ius ſolum ad medietatem boſci illius, ſic etiam dat ei

ius

ius in conſcientia ſolum, ad medietatem proficuorum inde prouenientium, nec tamen poteſt dici in tali caſu quod lex eſt ideo contra conſcientiam. Nam lex nec vult nec precipit quod vnus eorum omnia proficua inde ſibi ſoli caperet ſed cōſcientijs illorum illud committit. Sed in eo qui omnia proficua illa ceperit contra conſcientiam aſſignari poteſt defectus quem in conſcientia reformare tenetur ſi animam ſuam ſaluari cupit licet ad hoc per aliquam legem compelli non poteſt. Dici ideo poteſt in illo caſu & huic ſimilibus quod oppinio illa erronea declinanda eſt propter conſcientiam & non quod lex declinanda ſit propter conſcientiam.

Item ſi quis fecerit dimiſſionem ad terminum vitæ de vna acra terræ, et tenens ad terminum vitæ inde diſſeiſitus eſt, et poſtea deſſeiſitor obijt ſeiſitus et hæres eius intrat & proficua inde recipit, et poſtea tenens ad terminum vitæ ſimiliter obijt, poſt cuius mortem ipſe in reuerſione proſequitur actionē verſus hæredem prædictum ſecundum legem & terram recuperat. In illo caſu nulla dampna ſecundum legē recuperabit, quia ad com-

munem legem non fuerint dampna data verſus aliquem niſi verſus eum qui iniuriam fecerit ſicut verſus diſſeiſitorem & hoc ſolum in actione proſecuta per eum cui facta fuit iniuria. Sed poſtea per diuerſa ſtatuta dantur dampna in quibuſdam actionibus realibus vt in ſtatutis illis patet quæ nimis longa eſſent ad recitandum. Sed iſta actio nec plures aliæ actiones reales minime continentur in illis ſtatutis & ideo remanent petentes in actionibus illis ſine remedio quoad dampna per communem legem ſicut ante ſtatuta illa remanſerunt. Et ſicut in caſu proximo præcedentę illę coniunctim tenens decipitur ex quadam erronea oppinione vt ibidem patet pro eo quod non habetur remediū in illo caſu verſus eum ad cōmunem legem, ſic in iſto caſu multi decipiuntur credentes quod dampna in iſto caſu & huic ſimilibus iuſte retinere poſſint pro eo quod non datur remedium inde verſus eos per legem cum tamen lex nullum ius eis attribuit in dampnis illis. Et licet fortè titulum ignorauit tamen ſicut ignorantia illa non excuſat in legibus Angliæ quo ad titulum in foro conten-

contentioſo ſic nec excuſat reſtitutionem proficuorum in foro conſcientiæ. Tenentur igitur tenentes in talibus caſibus dampna perſoluere petentibus ſecundum tempus quo ius eis accreſceret ſi conſcientiam ſanam & incolumem tenere voluerint alioquin pœnam in futuro ſeculo lugent. Nam ſicut tales tenentes nullum ius habent ad terram ſic nec ius habent ad proficua inde prouenientia.

Intelligitur etiam vbi lex non vult permittere hominem ius alterius contradicere quod prius affirmauit in aliqua curia Regis ex recordo vel quia aliter ſe voluntariè excludit a tali verificatione, vt filia legittimè nata cum ſorore nata extra Matrimonium liberationem extra manus domini Regis proſequitur, ſi illa baſtarda medietatem terræ illius poſtea ceperit cum ſorore legittimè nata, illa aliquod remedium inde in Legibus Angliæ habere non poteſt. Nam ex recordo affirmauit ſe ſimul cum illa eſſe coheredem et tamen ſecundum Conſcientiam baſtarda illa nullam partem terræ illius tenere poteſt.

Multè quoque tales concluſiones ſiue excluſiones habentur in Legibus Angliæ quæ in lingua Anglicana per peritos legis vocantur Eſtopples. Ratione quarum in pluribus caſibus excludetur quis ad verificandum id quod fortè ſit verum. Et hoc patitur in lege ne aliquod inconueniens ambiguitas ſiue contradict o in curijs regis eueniret. Et ſi aliquis fortè per talem excluſionem non poteſt fauorem legis optinere pro iure ſuo habēdo ne mala prædicta ſequerentur, tenetur tamen quilibet qui ſic iniuſtè tenet aliquid ab eo qui ſic excluditur ſecundum conſcientiam ei reſtituere. Quia quamuis in caſibus prędictis lex non dat ſibi taliter excluſo aliquod remedium, tamen non iudicat nec dat alteri aliquod ius ad rem.

Item intelligitur quandoque quod Lex declinanda eſt propter conſcientiam de talibus caſibus particularibus qui per æquitatem ſiue per legem rationis vel per Legem diuinam excipiuntur a generalibus regulis Legis Angliæ de quibus ſupra habetur capitulo xv. vnde proprie loquendo verificari non poteſt quod Lex vult vt talia fiant quæ taliter excipiuntur, quia

quia non eſt intentio legis vt pro lege ſeruarentur. Sed regula illa generalis generaliter ſumpta eſt ipſa Lex quæ in ſe bona eſt, licet aliqui caſus particulares per legem rationis vel per legem diuinam ab ea rationabiliter excipiuntur vt in eodem capitulo xv. plenius apparet.

Item intelligitur quod lex dimittenda eſt propter conſcientiam vbi lex iudicat ſecundum allegata & probata, videlicet, ſecundum placitata & triata in re contra veritatem quod etiã tenet & teneri oportet in omnibus legibus humanis.

Item intelligitur aliquando cum cauſa legis ceſſat, nam cum cauſa legis ceſſat: ceſſat & lex in conſcientia, vnde talis habetur caſus.

Si extraneus fecerit vaſtum in terris alteri dimiſſis ad terminum vitæ, et ille breue de tranſgreſſione proſequitur verſus extraneum illum, in tali caſu ſi tenens ille ad terminum vitæ obtineat iudicium verſus illum extraneum, ſcilicet vt habeat dampna ad triplum vt ſecundum legem Angliæ habere debet eo quod ad tanta dampna onerari poteſt verſus illum in reuerſione, et poſtea ante executionem

inde ipſe in reuertione obijt, ita quod nulla actio vaſti verſus tenentem ad terminum vitæ de vaſto illo proſequi poteſt, tunc licet quærens executionem iudicij prædicti petere poteſt ſecundum legem, tamen eam petere in conſcientia non poteſt niſi ſecundum valorem dampni. Nam cauſa quare dampnum in triplum recuperauit determinata eſt per mortem ipſius in reuertione, et ſic recompenſationem ſolum capere oportet ſecundum dampnum quod ſuſtinuit, et non ſecũdum dãpnum quod prius ſuſtinuiſſe potuit.

Item intelligitur quod lex declinanda eſt propter conſcientiam cum lex aliqua fundatur ex preſumptione. Nam ſi præſumptio illa ſit contra veritatem, fallit et lex in conſcientia. Sed nunquid ſunt conſiderationes conſimiles ex alijs legibus deducte ad ſaluandã conſcientiã. DOCTOR. Immo plures valdè & in lege canonica & ciuili, vnde vna talis eſt vt vult Panormitanus in ca Rainaldus ſcilicet ſi hæres non faciat inuentarium quod tenetur vltra vires hæreditatis, et huic iuri ius canonicum non reſiſtit vt ibi videtur, et tamen in conſcientia non tenetur vltra vires

vires hæreditatis & alie plures considerationes sunt vbi leges humane non sunt in omnibus tenendę in foro conscientiæ quas ad præsens omitto. Sed supplico amicę dilecte vt iam aliquos casus ostendere cures vbi conscientia secundum opinionem tuam formari debet secundum legem Angliæ. STVDENS. Libenter faciam.

Hic ponuntur aliqui casus ad ostendendum vbi conscientia formanda est secundum Legem.
Cap. 18.

STVDENS. Filius senior ad communem legem gaudebit hæreditate patris in lege & etiam in conscientia, et in Burgh-English filius iunior eam in lege & conscientia possidebit. Et in Gauelkind omnes filij simul terram diuident vt filiæ ad communem legem in lege & etiam in conscientia. Et alia causa varietatis conscientiæ in casibus prædictis assignari non potest nisi quia lex Angliæ secundum diuersas consuetudines inde variatur.

Item si quis ex mero motu fecerit feoffamentum de duabus acris terræ quarum vna acra iacet in vno comitatu & altera in alio comitatu, & facit liberationē seisinę de vna acra in vno comitatu nomine dictarum duarum acrarum terræ: in isto casu feoffatus secundū legem & conscientiam non habet ius nisi solū ad illam acram vnde facta fuit deliberatio seisinæ, nisi alia acra in alio comitatu fuit infra visum.

Item si quis ex mero motu fecerit factum feoffamenti pluribus de vna acra terræ. Et virtute illius facti facit liberationem seisinę vni eorum nomine omnium. In isto casu omnes tam absentes quam præsentes habent ius in acra illa in Lege & Conscientia. Sed aliter esset si talis liberatio seisinę facta fuerit vni nomine plurimorum absentium siue factæ, quia tunc ille cui facta fuerit liberatio seisine haberet solum ius in illa acra & secundum legem & conscientiam & alij nihil inde haberent.

Si quis seisitus de quodam manerio ad quod habet communiam pasturæ pertinentem, & quandā aduocationē appendentem

dentem facit feoffamentum manerij prędicti, alteri ex mero motu ſuo, & non dicit: habendum ibi &c. cum pertinentijs, In iſto caſu feoffatus habet ius in lege & in conſcientia ſolum ad manerium prędictum & ad communiam paſturę prędictę, & non ad aduocationem prędictam: Sed ſi feoffamentum factum fuiſſet de manerio prędicto, habendum ſibi & hęredibus ſuis cum pertinentijs, tunc feoffatus habet ius ad manerium prędictum & ad communiam illam, ac etiam ad aduocationem in lege & conſcientia.

Item ſi dominus Rex ſeiſitus de manerio cum aduocatione eidem manerio pertinenti, ex mero motu dederit idem manerium alteri per litteras ſuas patentes, habend' ſibi & hęred' ſuis cum pertinentijs, in iſto caſu ille cui fit donum non habet ius ad aduocationem prędictam in lege nec in conſcientia. Sed ſi litterę patentes fuiſſent taliter factę, ſcilicet habendum manerium &c. ſibi & hęredibus ſuis cum aduocatione prędicta, tunc haberet ius ad manerium & ad aduocationem prędictam in lege & conſcientia.

Si dominus Rex faciat ſeiſiri in manibus

nibus suis manerium cum pertinentijs ratione custodię, ad quod est quędam aduocatio pertinens, & cum hęres ad plenam ętatem peruenerit, dominus Rex facit ei liberationem extra Cancellariam de manerio prędicto per hęc verba cum pertinentijs, aduocatio transit hęredi licet expressa mentio minimè fiat de aduocatione: ita quod hęres ille ad proximam vacationem habet ius pręsentandi ad Ecclesiam illam in lege & in conscientia.

Item si quis fecerit dimissionem ad terminum annorum, reddendo sibi & hęredibus suis x. s. per annũ ad festum sancti Michaelis &c. sub conditione: quod si redditus prędictus aretro fuerit per xl. dies &c. quod tunc benè licebit dimissori & hęredibus suis reintrare, & postea redditus prędictus aretro extiterit, & dimissor petit & demandat redditum secundum formam Legis, & obijt. & hęres suus intrat, intratio illa est bona & iusta in Lege & conscientia. Sed si pater suus non demandasset redditum in vita sua, sed hęres suus post mortem suum fecisset demandam, & pro defectu solutionis reintrasset, tunc reintratio illa non fuisset bona nec

in

in lege nec in conſcientia.

Item ſi tenes in dote ſeminauerit agros, ſuos & obijt ante maturitatē granorū, grana illa pertinēt executoribus tenētis in dote in lege & conſcientia, & non ipſi in reuertione. Aliter eſt de herbis & fructibus.

Si mulier ſeminauerit terram ſuam, & poſtea virum ceperit, & vir ante ſeperationem obijt, tunc blada illa pertinent mulieri in lege & conſcientia. Sed aliter eſſet ſi vir poſt matrimonium ſeminaſſet terram: quia tunc blada illa executoribus viri pertinerent in lege & conſcientia.

Item ſi quis de terra aliqua ſeiſitus, terram illam alteri legauerit, legatio illa ſecundū Legem Anglię vacua eſt nullíuſq; vigoris: & ideo hęres ſuus terram illam habebit etiam in conſcientia.

Item ſi quis alteri dederit terram per hęc verba: habendum & tenendum ſibi imperpetuū, intendens quod terram illam habebit ſibi & hęredibus ſuis: in hoc caſu ille cui terra illa data eſt terram illam ſolum habebit ad terminum vitę ſuę, & tunc ad donatorē reuertetur etiam in conſcientia: & alia ratio inde non habetur, niſi quia Lex Anglię talis eſt. DOCTOR. Sed ſi

in

in tali casu intentio partium propter aliquam considerationem pecunię matrimonij vel aliter fuillet quod ille cui terra illa data fuerit, terram illam sibi & hęredibus suis gauderet, tunc credo quod hęredes sui in conscientia terram illam habere debent. STVDENS. Verum est quod dixisti, & ideo casus ille solum intelligendus est vbi donator ex mero motu, siue ex mera voluntate, sine aliqua recompensatione, vel considerationę terram illam dederit.

Item, si quis dimiserit terram & redditum qui priùs esse habuit, alteri ad terminum vitæ, & tenens de terra vnde redditus exijt, attornauerit, vt oportet, posteaq; prędictus tenens ad terminum vitæ, terram & redditum prędictum alienauerit pro termino vitæ alterius, vel in feodo, tunc ille in reuersione, secundum Legem Angliæ, & etiam in conscientia, terram illam intrare & tenere potest: sed redditum illud habere non potest: Et causa diuersitatis est, quia Lex inde variatur. Nam secundum Legem Anglię, terra prędicta per prędictam alienationem forisfactura est, & non redditus.

Item,

Item, filius natus post matrimonium, hęreditate patris gaudebit in conscientia, prę filio nato ante matrimonium: Et causa est, quia Lex & consuetudo Angliæ, talem habet vt legitimum, & filium natum ante matrimonium, bastardum.

Item, si terra datur viro & vxori suę, & tertię personę in feodo, & postea vir terram illam alienauerit & obijt, mulier medietatem illius terrę in conscientia recuperabit. Sed si terra datur viro, & mulieri non maritato, & tertię personę, & postea vir & mulier illa simul maritentur, & postea vir illę alienauerit & obijt, in illo casu mulier solum tertiam partem recuperabit in conscientia: Et sola causa diuersitatis conscientię in prædictis duobus casibus est diuersitas Legis.

Item, emptor ius habet erga omnes ad bona empta in ferijs vel mercatis, etiam in conscientia, dum conscius primę proprietatis non fuit, ita quod emptor tolnetum soluat, aut aliud fecerit pro tali emptione secundum consuetudinem feriarum illarum.

Item, Deodanda forisfacta sunt Regi cuicunq; prius pertinebant etiam secundum

dum conscientiam: et causa illa quare forisfacta sunt in conscientia non habetur, nisi quia Lex iudicat ea forisfieri, & pro anima ipsius mortui disponi.

Item dominus Rex habebit catalla vtlagatorum, felonum, fugitiuorum, ac weyuiatorum, ac extrahuras, bona confiscata, etiam in conscientia dum secundum legem cum debitis circumstantijs forisfacta sunt: Sed bona illorum qui solum indictati sunt pro felonia vel murdro non sunt forisfacta, nec in lege nec in conscientia quousq; ille indictatus secundum legem attinctus sit.

Item si tenens cessauerit per biennium, vel si tenens tenere de domino suo in curia de recordo disclamauerit, vel si tenens ad terminum vitę in breui de Quid iuris clamat feodū clamat, vel in actione reali auxilium de alio quam de ipso in reuertione petit. Vel si Abbas & Conuentus terram fundationis domus suę alienauerint, in hijs casibus & hijs similibus forisfacta est terra etiam in conscientia. Et nulla alia causa habetur quare conscientia in hijs casibus & hijs similibus talis est, nisi quia terra illa in casibus prædictis secun-

secundum legem forisfacta est.

Item blada crescentia super terram dimissam ad terminum annorum in fine termini pertinent ipsi in reuertione etiam in conscientia: sed aliter est de bladis tenentis ad terminum vitę. DOCTOR. De illo casu de bladis tenentis ad terminum annorum dubito: Nam si ille qui dimissionem fecerit, totum redditum illius anni recepit, non videtur stare cum conscięntia quod etiam blada retinere possit. STVDENS. Et si ille tenens ad terminum annorum blada in tali casu haberet, tunc terram illam vltra terminum suum teneret, quod cum iustitia non staret nec cum intęntione primę dimissionis: Et ideo Lex blada illa ipsi in reuertione adiudicat. Et defectui ipsius tenentis ad terminum annorum ascribit, quod terram illam sub ipsa forma acceptam seminauerit, dummodo ei satis constabat quod infra terminum illum blada illa plene matureścere non potuerint. DOCTOR. In isto casu circumstantię materię et qualitates personę vt mihi videtur multum ponderądę sunt: Nec in isto casu vna sola regula conscientię vt estimo assignari

potest:

potest: Sed vlterius supplico procede, STVDENS. Si dimissio fiat de certa terra ad terminum vitę, remanere inde rectis heredibus Iohannis at Stile, si in isto casu tenens ad terminum vitę obierit in vita Iohannis at Stile, tunc terra illa ad donatorem reuertetur etiam in conscientiam: Sed hoc intelligendum est cum remanere illud factum fuerit ex mero motu, quia remanere illud vacuum est in lege: Sed in illo casu si Iohannes at Stile cui remanere illud limitatum fuit obijt in vita tenentis ad terminum vitæ, tunc remanere illud esset bonum in Lege & etiam in conscientia.

Item in casu prędicto, si Iohannes at Stile obijt viuente tenente ad terminum vitę habens filiam heredem, vxor sua cum filio pregnante, posteaq; tenens ad terminum vitę obijt, & filia vt in remanere illud vt heres intrat vt iustè poterit, posteaq; filius natus est, qui tunc heres patri suo in lege censetur: tamen filia terram prędictam gaudebit inperpetuum etiam in conscientia: quia Lex alia est quod ius inde filię pertinet; Nec in hijs casibus multum est insudandum: nam quasi totum

corpus

corpus legis in hijs & in hijs similib' consistit vnde tenent legis periti Anglię quod vbi aliqua lex ritè habetur seu ordinetur pro dispositione rerum realium vel personalium aut mixtarum quę non est contra legem dei nec contra legem rationis qd' lex illa ligat omnes legi subiectos in foro conscientiæ. Insuper ex casibus p̄dict s & ex al js casibus in legibus Anglię hijs similibus formari potest silogismus Conscientiæ sub hac forma. Sinderesis ministrat maiorem sic. Iustitia est cuilibet sienda. Super quam maiorem lex Angliæ ministrat minorem sic: Filio nato post Matrimonium in hoc regno Angliæ spectat hæreditas pręfilio nato ante Matrimonium. Ideo conscientia facit talem conclusionem: Ergo filio nato post Matrimonium reddenda est hæreditas. Et sic de alijs casibus infinitis formari potest in legibus Angliæ silogismus Conscientiæ siue rectum iudicium Conscientiæ: Et nunc doctor reuerende quia ad quæstiones tuas quid censerim ostendi quæso vt ad quasdam quæstiones ex legibus Anglię formatas vnde dubito quid sit tenendum in Conscientia opinionem tuam

ostendere digneris DOCTOR. Questiones illas produc in palam, et opinionem meam inde libenter ostendam.

Prima quæstio Studentis.

Cap. 19.

STVDENS. Si Infans ætatis XX. annorum sui capax rationem & sapientiam habens se & sua gubernare, terram suam vendiderit, et cum pecunia inde recepta aliam terram maioris precij quam fuerit prima emit & possidet, an potest Infans ille terram primam repetere in conscientia sicut potest per legem terræ. DOCTOR. Quid tibi bone studens inde videtur. STVDENS. Quia lex Anglię in hoc articulo fundatur ex ꝑsumptione, scilicet, quod Infantes communiter ante annum XXj. non sunt sui capaces nec rationem habentes se & sua gubernare, propter quod posuit lex annum certum quasi omnibus Infantibus rationabilem, scilicet, annum XXI &c. ad dona & feoffamenta & alia similia facienda & non infra.

fra. Tamen quia presumptio illa in isto Infanti videtur deficere, mihi videtur quod deficit et lex in Conscientia. Et quod a lege prædicta pro Infantibus ordinata in Conscientia excipiendus est. Nec se posse in conscientia terrã illam repetere. Quid inde est opinio tua? DOCTOR. Priusquam oppinionem meam inde ostendam vellem a te aliam petere quæstionem, scilicet, ex qua lege habetur, an scilicet ex lege rationis an ex lege cõsuetudinis quia liberum tenementum in hoc Regno Angliæ potest transferri de vno ad aliũ per solam liberationem seisinæ. STVDENS. Ex lege consuetudinis. DOCTOR. Et quæ inde est vera consuetudo? STVDENS. Quod per talem liberationem seisinę factam per aliquem qui est plenę ætatis extra prisonam nec vir o coopertam trãsfertur possessio ius ei cui talis fit seisinæ liberatio. DOCTOR. Et si ille qui facit talem liberationem seisinæ sit infra ætatem, quid tunc secundum legem Angliæ operatur talis seisinæ liberatio. STVDENS. Quod possessio solum transfertur & non ius. DOCTOR. Tunc tu ipse concedis

quod ius non competit isti feoffato per illam liberationem seisinæ. STVDENS. Verum est. DOCTOR. Et si ius ei non competit per liberationem seisinæ, per quem actum tunc secundum opinionem tuam debet ius ei competere? STVDENS. Per contractū siue venditionem inde prius factam, DOCTOR. Et si contractus de terra fiat per Infantem, quid operatur in lege Angliæ talis contractus. STVDENS. In lege talis contractus vacuus est nulliusq; vigoris, sed tamen videtur quod in Conscientia tenere debet eo quod Infans est sui capax vt supra cuidēter paret. DOCTOR. Ex qua lege tunc secundum opinionem tuam formaretur illa Conscientia de qua loqueris: non ex lege regni, quia vt tu ipse dixisti secundum legem illam venditio, et liberatio seisinæ prędictę nullius sunt vigoris: Sed & vt mihi videtur nec ex lege rationis neque ex lege diuina in hoc casu formari potest Conscientia, quia vt fiant contractus non habetur ex lege rationis neque ex lege diuina sed ex lege humana. Et omnis Conscientia ex aliqua lege formari debet. Ideo vt

mihi

mihi videtur in isto casu Conscientia debet formari secundum legem terræ quæ nullum ius in isto casu emptori indicat. STVDENS. Post legē proprietatis non possunt homines simul conuenire sine contractibus. Et ideo videtur quod contractus sint de lege rationis. DOC. Licet de rebus personalibus durū esset homines simul conuiuire sine contractibus, tamen per hoc non videtur sufficienter probari quod contractus sunt de lege rationis. Nam cum omnia fuerint communia non fuit aliquis contractus necessarius. Et cum ipsa lex proprietatis sit de lege humana vt supra dicitur cap. 5. sic etiam sunt contractus qui ex illa lege proprietatis diriuantur. Sed licet contractus de rebus personalibus sunt multum necessarię pro communi vtilitate, non tamen contractus de terris & tenementis sunt adeo necessarię, quia sine venditione terrarium possunt homines bene simul conuiuire. Et ideo si per statutum ordinatum esset quod omnis venditio terrarum in hoc regno esset vacua, et quod quilibet non obstante aliqua venditione remaneret de terris suis seisitus, esset statutum li-

citum. Et si tunc non obstante tali statuto quis terram suam pro certa pecuniæ summa vendiderit, potuit tamen venditor terram illam sibi tenere secundum formam statuti illius nō obstante venditione illa in Conscientia, et solum ei remaneret in Conscientia restituere emptori in pecunijs secundum quantitatem dampni in huiusmodi casu recepti. S T V. Si tale statutum esset licitum tunc nihil ei restaret facere nisi vt emptori restitueret vt dixisti. Sed multum dubito an tale statutum esset bonum, nam vt videtur venditiones sunt de lege rationis & ad minus cū facte sunt ita quod habeatur inde quid pro quo ex lege rationis secundarie habetur vt teneātur. Doc. Si contractus facti sunt secundum Legem & inde habetur quid pro quo tunc vt dixisti ex lege rationis est vt impleatur. Sed si non sunt facti secundum legem tūc vacui sunt nec in Conscientia ligant. Et insuper secundum Iohannem Gerson: Si lex instituta esset quia terra vendita redimi posset infra certos annos & sub certa forma per legem limitanda lex illa esset bona, ita quod venditor posset terram suam redimere

dimere inuito emptore & contra formam venditionis ſuę factam. Eadem ratio vult quod lex prohibere poteſt ne fiant venditiones. Lex etiam ordinare poteſt quod non fiant contractus ſine certis teſtibus, & quod ſi aliquis contractus aliter fiat, quod nullius ſit vigoris, et ſi tunc contra formã talis legis aliquis ſine teſtibus terrã ſuam vendiderit & etiam proinde pecunias receperit, nihil tamen ei reſtaret faciendum niſi vt emptori ſecundum Conſcientiam in pecunijs reſtituat & terrã ſibi retinere licitum eſſet. Sic enim videtur in caſu propoſito, ſcilicet, quod Infans iſte in terram ſuam reintrare poteſt, et eam ſibi retinere etiam in Conſcientia, eo quod contractus nullius eſt effectus in Legibus Angliæ, et quod Infans tenetur in Conſcientia reſtituere emptori pecunias ſolutas & alia dampna rationabilia quæ ea occaſione ſuſtinuit: Sed vtrum proficua terræ illius medio tempore recepta computentur ad proficuum emptoris vel venditoris nolo ad præſens diffinire ſed videtur quod potius ad proficuum venditoris quam ipſius emptoris computanda ſunt. Sed ſi contractus

ſufficiens de terris fiat licet ſolempnitatibus legis caret, ſcilicet, liberatione ſeiſinę vel ſimilibus in contractus in conſcientia tenet & venditor ad perimplendum contractum illum in conſcientia tenetur. Et vt ſæpe audiui habetur remedium in tali caſu in cancellaria Regis per breue de ſubpœna. Sed quia contractus eſt inſufficiens aliter debet teneri in conſcientia vt mihi videtur ſicut ſuperius dixi in caſu principali.

¶ *Secunda quæſtio Studentis. Cap. 20.*

STVDENS. Si tenens ad terminum vitæ impanellatus fuerit in aliqua iurata in qua Exitus perdat vtrum exitus illi poſt mortem illius tenentis ad terminum vitæ poſſunt in conſcientia leuari ſuper poſſeſſione illius in reuerſione vel non aliqualiter dubito. DOCTOR. Quid vult inde lex Angliæ STVDENS. Quod poſſunt leuari, nam ſi quis impanellatus in aliqua iurata per breue de diſtrictione apparere noluerit, Lex Angliæ vult quod Exitus perdat qui pro Rege ex antiqua conſuetudine Regni leuari poſſunt tam de

de terrâ vxoris etiam poſt mortem viri ſui qui eòs foriſſecerit, quam de terris illius in reuertione, cum per tenentem ſuum ad terminum vitę iam mortuum foriſfacti fuerint. DOCTOR. Si Lex terrę talis ſit, quę eſt cauſa quare dubitas inde de conſcientia? STVDENS. Quia quoddam Maximum in Legibus Anglię habetur, quod vbi duo tituli concurrunt, ſenior titulus eſt prętetendus, & in iſto caſu titulus illius in reuertione eſt ante foriſfactionem exituum prædictorum, ideo aliqualiter dubito vtrum iuſtè leuari poſſunt vel non. DOCTOR. Ex hac ratione tua videtur te etiam de Lege Anglię inde dubitare, ſed hoc ſcire omnino neceſſarium eſt: nam aliter de conſcientia ex tali lege formanda tractare ſuperfluum eſſet. STVDENS. Tenetur pro certo quod Lex talis eſt. DOCTOR. Et ſi Lex talis ſit, videtur quod & talis erit inde conſcientia: Nam cum ex Lege habetur quod pro executione Iuſtitię quilibet cum opus fuerit in iurata impanellari debet: videtur rationabile quod ſi apparere noluerit, quod pœnam aliquam incurret: Nam aliter fruſtrata eſſet Lex.

Et

Et hęc pœna vt per te ſuperius comperi, eſt exitus perdere ſi non comparuerit: Ideo non videtur inconueniens nec contra conſcientiam ſi Lex talis ſit, quod exitus illi de poſſeſſione illius in reuertione leuentur maximè cum ſit pro executione iuſticię: Et tunc talis conditio intelligitur in lege tranſire cum dimiſſione ad terminũ vitę, vnde caueat dimiſſor vel defectui ſuo proprio imputabitur: Et tunc iſtud particulare maximum quod terra tenta ad terminũ vitę talibus exitibus obligatur eſt exceptio quędam ſpecialis in legibus Anglię ab illo generali maximo quod ſuperius memoraſti. s. quod vbi duo tituli concurrunt, quod titulus ſenior eſt prę ferendus: Et ſic in iſto caſu illud generale maximum locum non tenebit nec in lege nec in conſcientia: Nam per iſtud Maximum particulare vigor illius generalis maximi in hoc caſu refrenatur etiam in conſcientia.

¶ *Tertia queſtio Studentis.*

Cap. 21.

STVDENS. Si tenens ad terminum vitę vel annorum fecerit vaſtum, propter quod ſecundum ſtatutum reddere tenetur

tenetur ipſi in reuertione dampna in triplum & locum vaſtatum, vtrum tenetur in conſcientia dampna illa ſoluere & locum vaſtatum reddere immediatè poſt vaſtum factum, vel quod non tenetur ad hoc quouſq; dampna in curia Regis recuperentur. DOCTOR. Ante iudicium redditum de dampnis in triplũ & de loco vaſtato non tenetur illa reddere in conſcientia, quia incertum eſt quid reddere debet, ſed ſufficit vt prẽſto ſit ante iuditium ad reddendum dampna ſecundum valorem rei vaſtatę: Sed poſt iudicium redditum tenetur in conſcientia reddere & dampna in triplum, & etiam locum vaſtatum. Eademq; Lex eſt in omnibus ſtatutis pœnalibus, ſcilicet quod nullus tenetur in conſcientia talem penalitatem reddere quouſq; ſecundum legem recuperetur. STVDENS. Sed poteſt ne ille qui contra tale ſtatutum penale attemptauerit licitè defendere actionem inde proſequutam ne reddatur iudicium. DOCTOR. Si actio ſecundum formam ſtatuti iuſtè proſequatur, & ex iuſta cauſa, nullo modo poteſt in conſcientia actionem illam defendere, licet penalitatem illam

illam minimè tenetur ſoluere quouſq; recuperetur vt prędicitur.

¶ *Quarta queſtio Studentis.*

Cap. 22.

STVDENS. Si quis fecerit alteri feoffamentum in feodo de certa terra, habend' ſibi & hęredibus ſuis ſub conditione, quod ſi feoffatus inde aliquem vlterius feoffare contigerit, quod tunc benè licebit feoffatori & hęredibus ſuis in terram illam reintrare, & eam vt in priſtino ſtatu ſuo rehabere, prędicto feoffamento non obſtante: In iſto caſu conditio prędicta in Lege Anglię vacua exiſtit nulliuſq; vigoris: nec licebit feoffatori reintrare, licet feoffatus faciat feoffamentum contra formam conditionis illius: Sed vtrum illa conditio ſit tenenda in conſcientia vel non mihi dubio pendit. DOCTOR. Quę eſt cauſa quare conditio prędicta iudicatur in Legibus Angliæ nullius eſſe vigoris. STVDENS. Quia per Legem Anglię eſt incidens cuilibet ſtatui de feodo ſimplici, quod ille qui talem

talem ſtatum habet, poteſt licitè inde vlterius facere feoffamentum cuicunque voluerit: Et ideo cùm prędictus feoffator primo dederit feoffato talem ſtatum per quem habet auctoritatem alios feoffare, & tunc contra factum ſuum proprium vult eum poſtea per idem factum reſtringere ne aliquem alium inde feoffaret, Lex hoc non permittit: quia hoc eſſet & contra factum ſuum proprium, & contra formam ſtatus feodi ſimplicis. Et ſimilis Lex habetur ſi ſuper ſtatum feodi ſimplicis facta fuerit conditio, quod feoffatus non faceret vaſtum, talis conditio etiam vacua eſſet in lege: Sed ſi conditio acta fuiſſet quod non feoffaret talem, vel talem &c. conditio illa eſſet bona: quia non eſſet facto ſuo nec ſtatui feodi ſimplicis mere contraria: nam alios poterit inde feoffare. DOCTOR. Licet conditio prædicta ſi contra formam ſtatus feodi ſimplicis, et etiam contra Legem terræ, non tamen eſt contra formam intentionis inter partes concordatę. Et quia intentio partium fuit quod ſi feoffatus ille aliquem de illa terra feoffauerit, quod terra illa ad feoffatorem reuertere deberet, & ille

feoffatus

feoffatus terram illam ea intentione recepit, videtur quod post secundum feoffamentum terra illa in conscientia ad primum feoffatorem reuertere debet. STVDENS. Intentio partium in pluribus casibus in Legibus Angliæ erit frustrata, s. cum non sit secundum legem ordinata, & credo quod idem sit tenendum in conscientia. DOCTOR. Aliquos casus inde vellem te ostendere. s. vbi frustrata erit intentio partium, eo quod non sit ordinata secundum legem. STVDENS. Ad hoc sufficienter declarandum requiritur tractatus specialis vnde tempus ad præsens sufficere non videtur: Sed aliquos casus inde libenti animo breuiter ostendam ad dandum alijs occasionem inde pleniùs imposterum tractandi, vnde primus casus est, quod si quis mero motu absq; contractu vel aliqua recompensatione, intendens alteri dare terram in feodo simplici, facit ei factum, in quo continetur quod habebit terram illam imperpetuum, intendens quod per hoc verbum imperpetuum habebit terram illam sibi & heredibus suis, in hoc casu frustrata est intentio tam in lege quam in conscientia:

nam

nam ſolum habet terram illam ad terminum vitę.

Item ſi quis dederit alteri certam terram quam habet ad terminum xx. annorum, habend' ſibi & hęredibus ſuis ad finem termini dictorũ xx. annorum, intendens quod hęredes illius cui terram illam conceſſerit, terram illã gauderent durante termino illo, fruſtrata eſt intentio etiam in conſcientia, eo quod non eſt ordinata ſecundum legem vt ſupra: Nam executores ſui ſecundũ legem & etiam ſecundum conſcientiam in illo caſu terminum illum gaudebunt, & non hęredes.

Item ſi quis dat terram viro & vxori ſuę & tertię perſonę, intendens quod quilibet eorũ tertiam partem inde acciperet, fruſtrata eſt intentio: Nam vir & muler vt vna perſona in lege computantur, & niſi vnam partem vt vna ſola perſona capient: Et ſic vir & vxor ſolum medietatem inde contra intentionem donatoris habebunt, & tertia perſona capiet aliam medietatem. Sed notandum eſt quod caſus prædicti & multi eis ſimiles intelligendi ſunt quãdo dona prędicta fiant ex mero motu donatoris ſine aliqua recõpenſatione &c.

Et quia

Et quia feoffator in hoc casu proposito per sufficiens factum tuum terram illam ab eo dederit, & medium super quo intentio eius fundatur pro terra illa rehabēda contra regulas Legis fundatur, videtur quod ex Lege Anglię non potest formari conscientia, sed nec ex Lege rationis formari potest vt mihi videtur, quia non est aliqua inde ratio primaria vt talis conditio sit bona: sed nec habetur aliquod principium vnde ratio secundaria inde formari poterit. Et vlterius nihil esset contra rationem si per statutum ordinatum esset, quod super feoffamentum terrarum nulla omnino esset reseruata conditio: Et certum est quod cum aliquid ex maximis Legis Anglię prohibitum sit, tantę virtutis & efficacię in lege existit, sicut si per statutum idem prohiberetur: Ideo feoffator vt mihi videtur in hoc casu nullum ius habet nec in Lege nec in conscientia. DOCTOR. Et quid tibi videtur de feoffamēto facto sine scripta sub conditione in lege promissa, vtrum ligat conditio illa in conscientia. STVDENS. Ligat in conscientia: Nam etiam in lege ligare potest, scilicet si conditio illa

illa comperta fuerit per iuratam, quia lex Angliæ non est quod omnis conditio facta sine scripto sit vacua sed quod non potest placitari sine scripto. Et quia in hoc casu conditio potest valere etiam in Lege vt prædicitur: Ideo valet & ligat in cõscientia. Sed quando talis conditio est taliter vacua in lege vt in casu proposito, est etiam vacua in Conscientia, nisi Lex illa qui eam iudicat esse vacuam sit contra legem rationis siue contra legem diuinam, quod in casu proposito affirmari non potest: Et ideo vt mihi videtur in isto casu feoffator nec habet ius ad terram illam in lege nec in Conscientia. DOCTOR. Benè stat inde oppinio tua quousque tempus ad vlterius inde loquendum aptum habeamus.

Questio quinta studentis.

Cap. 23.

STVDENS. Si finis cum proclamatione leuetur secundũ statutum, vtrum per talem finem extinguitur ius alienum secundum conscientiam.

DOCTOR. Ex qua consideratione factum fuit illud statutum. STUDENS. Ne fiant dominia terrarum & tenementorũ incerta. DOCTOR. Cum aliqua lex humana fiat pro bono communi, aut pro pace & quiete populi, aut pro aliquo incommodo a populo euitando, licet etiam ius alienum extinguit, tamen lex bona est & seruari debet etiam in foro conscientię. Nam vt superius dicitur cap. 4 Ex legibus humanis iuste institutis patet vnde est iustitia in terrarum possessione & dominio rerũ. Nam quicquid secundum leges huiusmodi possidetur iuste possidetur, quod vero contra eas tenetur iniuste tenetur. Et vlterius vt ibi dicitur leges humane non contrarię legi diuinæ debent seruari etiam in foro animæ, et qui eas spernit, deum spernit & deo resistit. Subsunt etiam legibus possessiones & iura, quæ igitur ab vno ad alium cum causa rationabili alterari possunt. Ex tali enim consideratione lex illa fundatur vt audiui, scilicet, quod per contractum factum in ferijs aut in mercatis apertis alteratur proprietas. Et in lege ciuili habetur simile. lex, scilicet, quod

quod si quis tenuerit rem alie nam cum titulo & bona fide per triennium erit dominus rei. Et hoc introductum fuit ne dominia rerum essent sub incerto, et ne lites essent inter mortales. Quia igitur statutum prædictum ordinatum fuit ad dandum & assignandum certitudinem tituli in terris & tenementis, videtur quod ius illud alienum virtute Statuti illius extinguitur etiam secundum conscientiam. STVDENS. In hac quæstione ad præsens te vlterius fatigare nolo, nam licet adhuc multas alias habeo ad te quæstiones de Legibus Angliæ & de Conscientia, in quibus opinionem tuam audire cupio. Tamen quia iam tempus præterijt nolo tibi tanto importunus esse vt ad eas immediate respondeas, sed si placet supplico vt eas modo recitare potero & vt alias cum tempus oportunum iaduenerit eis respondere cures. DOCTOR. Eas ostende et gaudenti animo desiderio tuo acquiescam.

¶Hic sequuntur diuerse questiones Studentis de Lege & Conscientia ad quas Doctor promisit se alias respondere.

Cap. 24.

STVDENS. Si tenens in tallio post possibilitatem exitus extincti fecerit vastum vtrum tenetur in Conscientia restituere sibi in reuertione ad valorem rei vastatę cum secundum legem ad hoc non tenetur.

Item si quis vtlagatus fuerit super actionē in qua returnatum fuit quod defendens fuit quinto exactus cum secundum veritatem nunquam fuerit exactus vtrum dominus rex per petitionem ei factū ac inde conscius potest bona talis vtlagati sana cōscientia vt sua retinere vel nō &c.

Item si extraneus fecerit vastum in terris tentis ad terminum vitæ vel annorum ignorante tenente vtrum potest ille in reuertione sana Conscientia recuperare versus illum tenentem ad terminum vitæ vel annorum dampna in triplum secundum statutum, si extraneus ille nihil habet vel non sufficiens habet ad recompensandum vel non &c.

Item si aliquis legittimè natus certificatus

catus fuerit baſtardus per ordinarium, et tamen proſequitur breue vt hæres vtrum poteſt aliquis legis peritus veritatis conſcius fore de conſilio tenentis & placitare verſus eum dictam certificationem ſana Conſcientia vel non.

Item vtrum aliquis legis peritus poteſt ſana Conſcientia eſſe de conſilio querentis ad communem legem ſi ſit conſcius quod habetur ſufficiens materia Conſcientiæ per quam defendens exonerari debet ſecundum conſcientiam ſed defendens eam placitare non poteſt ad communem legem vel non &c.

Item ſi quis diſtrictionem aliquam ceperit pro compoto vel debito ſuper obligatione ſiue pro alia cauſa quacunque vbi licet ius habet tamen ſecundum Legem diſtringere non licet & tamen prætextu illius diſtrictionis quod petijt obtinuit, quid tenetur reſtituere in conſcientia pro iniuſta captione illi' diſtrictionis,

Item vtrum executores tenentur in Conſcientia reſtituere dampna pro perſonali tranſgreſſione facta per teſtatorem cum ſecundum Legem Angliæ ad hoc compelli non poſſunt &c.

Item si quis seisitus de C. acris terræ habensque duos filios obijt inde seisitus, post cuius mortem vnus extraneus sine titulo intrat & abatat & proficua inde capit per certum tempus, posteaque filius senior obijt nullo ingressu in illam terram per eum facto, post cuius mortem filius iunior prosequitur breue de assisa mortis antecessoris vt hæres patri suo & recuperat terram cum dampnis a tempore mortis patris sui vt bene potest secundum legem Angliæ, vtrum in isto casu filius iunior tenetur in conscientia reddere executoribus fratris sui dampna quæ emerserint fratri seniori in vita sua, ea quod de iure in vita sua ei competebant vel non?

Vir alienat terram de qua vxor sua dotabilis est et obijt, post cuius mortem mulier petit a terram tenente dotem suam sibi assignari quam ille dedicit, posteaque mulier iterum dotem petit & terram tenens eam ei assignat, vtrum debet etiam secundum conscientiam terram tenens in isto casu ei reddere dampna a morte viri sui, vel a tempore primo requisitionis dotis, vel quod mulier solum habebit proficua tempore assignationis, cum

cum ſecundum Legem mulier in tali caſu in breui de dote nulla dampna recuperabit.

Iohannes at Style ſeiſitus de C. acris terræ conſciuiſque quod Henricus Hert habet ius ad terram illam finem facit leuari cum proclamationibus ſecundū ſtatutum amicis ſuis ad extinguendum ius illud: Et quia dictus Henricus Hert ignorans eſt inde de iure ſuo quinque anni tranſeunt poſt finem leuatum ſine clameo. Ita quod dictus Henricus Hert ſecundum ſtatutum excluditur à iure ſuo imperpetuum, vtrum etiam excluditur inde ſecundum conſcientiam.

Si quis obierit ſeiſitus de centum acris terrę, & poſt eius mortem vir filię ſuę & hęredis ſtatim poſt noticiam mortis patris vxoris ſuę iter arripit ad intrandum in terram illam, ſed antequam ad terram illam venire poterit, vxor ſua obijt, vtrum ſecundum conſcientiam erit tenens per Legem Angliæ: Poſito quod prolem habuerit, cum ſecundum Legē Anglię tenens per Legem Anglię eſſe non poterit.

Si redditus alicui concedatur percipiendus de duabus acris terræ,& postea ille cui fit illa concessio perquirat vnã acram dictarum duarum acrarum terræ & factum est ei inde feoffamentum, ita quod totus redditus prædictus extinctus est secundum legem, vtrum etiam extinctus est secundum conscientiam, vel quod tenens teneatur in conscientia soluere redditum secundum portionem.

Si natiuus concedatur vni ad terminũ vitæ,et natiuus ille perquirat terras sibi et hæredibus suis, in isto casu tenens ad terminum vitę intrabit & gaudebit sibi et hæredibus suis secundum legem Angliæ,vtrum etiam illam gaudebit secundum conscientiam.

Si quis alium feoffauerit sub conditone quod redditum soluat cuidam extraneo vel extraneus in eam intrabit & terram gaudebit sibi & heredibus suis in eo casu si redditus non soluatur vtrum potest extraneus in terram illãm intrare & tenere in Conscientia, cum secundum legem Angliæ non potest, hoc intellecto quod in isto casu feoffamentum illud factum

factum eſt ex mero motu ſine aliquo cõtractu.

Item ſi quis habens filium natum ante matrimonium, & alium poſt matrimonium, per vltimam voluntatem ſuam legat filio & heredi ſuo omnia bona ſua, quis dictorum filiorum in conſcientia gaudebit legatis patris? An ſcilicet ille qui natus eſt ante matrimonium, vel ille qui natus eſt poſt matrimonium? DOCTOR. Queſtio illa non dependit ex dubio conſcientię, ſed ex noticia Legis, ſcilicet vtrum iudicabitur pro herede qui eſt heres ſecundum Legem Canonicam, vel qui eſt heres ſecundum Legem Anglię: Vel forte intentio patris inde obſeruanda eſt: Ideo non eſt ille caſus inter prędictos caſus numerandus: Nam conſcientia non eſt ſuper aliquam legem de aliquo caſu particulari ſcrutanda, niſi vbi habetur in eodem caſu certitudo Legis. STVDENS. Tunc omittatur ille caſus ſed cum tempus aduenerit ad alios caſus ſuperius poſitos queſo te reſpondere. DOCTOR. Libenter faciam. Necnon occaſione illorum quę ſuperius in hoc libello de Legibus Anglię

Anglię dixiſti maiorem operam dabo quam prius dederim in Legibus Angliæ plenius aſſertiri: Nam ſatis conſtat quod notitia idem eſt multum neceſſaria & Clericis & Laicis, & omnibus in hoc Regno commorantibus, etiam in foro conſcientiæ. Et non ſolum queſtionibus tuis prędictis, ſed etiam aliis ſi alias addere placuerit reſpondebo. Dei iuuante miſericordia & pietate qui te ſanum & incolumem conſeruat, & nos ad fœlicitatem æternam peruenire concedat.

Amen.

Tabula.

De vita Autoris.
Testamentum Autoris.
Prologus.
Introductio. Fol. 1.a
Cap. 1. De Lege AEterna. 1.b
Cap. 2. De Lege Rationis, sive de Iure gentium. 4.a
Cap. 3. De Lege Divina. 8.b
Cap. 4. De Lege Humana. 11.a
Cap. 5. De primo fundamento Legis Angliæ. 14.a
Cap. 6. De secundo fundamento Legis Angliæ. 18.b
Cap. 7. De tertio fundamento Legis Angliæ, de Consuetudinibus Regni. 21.b
Cap. 8. De quarto fundamento Legis Angliæ, de Principijs vel Maximis. 27.a
Cap. 9. De quinto fundamento Legis Angliæ, de Consuetudinibus particularibus. 32.b

Cap. 10.

Tabula.

Cap. 10. De sexto fundamento Legis Anglie, de diuersis Statutis. 34.a

Cap. 11. Quid sit Sindereſis. 36.b

Cap. 12. De Ratione. 38.b

Cap. 13. De Conſcientia. 40.b

Cap. 14. Quid ſit AEquitas. 45.a

Cap. 15. Reſponſio ad primam queſtionem Doctoris, de Debitis. 46.b

Cap. 16. Secunda queſtio Doctoris, de Statutis. 49.a

Cap. 17. Quomodo hæc queſtio eſt intelligenda, ſcilicet vbi conſcientia formanda eſt ſecundum Legem. 51.b

Cap. 18. Aliqui caſus ponuntur ad oſtendendum vbi conſcientia formanda eſt ſecundum Legem, et in quibus caſibus ſequitur Legem. 56.a

Cap. 19. Prima queſtio Studentis, de Infantibus. 61.b

Cap. 20. Secunda queſtio Studentis, de Exitibus perdit'. 64.b

Cap. 21. Tertio queſtio Studentis, de Vaſto. 66.a

Cap. 22. Quarto queſtio Studentis, de Condi-

Tabula.

Conditionibus. 66.b

Cap. 23. *Quinta quæstio Studentis, de Finali concordia.* 69.a

Cap. 24. *Diuersæ Quæstiones Studentis, de Lege & Conscientia, ad quas Doctor promisit se aliàs respondere.* 70.b

Finis Tabulæ.

Explicit Dialogus de Fundamentis Legum Angliæ & de Conscientia.